



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Disputatio III. De Causis Prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

sumit speciem per respectum ad concursum Dei universalem.

710. Replicabis: Illa entitas, quæ est in actu malo, procedit re ipsa per actionem Dei, quæ terminatur ad ipsum actum singularem, prout est à parte rei; siquidem est eadem cum actione causæ secundæ, quæ sic producit ipsum actum; sed ex eo, quod sic procedat à causâ secundâ, ei tribuitur; ergo etiam sic poterit Deo tribui, & ab eo prædefiniri. Respondeo ex hoc solum sequi, quod Deus velit suum concursum, & id, quod est idem cum influxu creaturæ; non autem quod velit terminum talis influxus, nempe ipsum actum productum.

711. Argues 10. Deus producit materialitatem peccati, quin producat ejus formalitatem; ergo à fortiori poterit liberè prædefinire materialitatem ipsius peccati, quin ejus formalitatem prædefiniat, sed erit præter illius intentionem. Respondeo negando consequentiam, diversa ratio est, quia productio, cum sit influxus physicus, solum entitatem physicam producit, qualis non est formalitas peccati, sed aliquid tantum morale, idèdque non producit: at verò prædefinitio, cum sit actus intentionalis, potest tendere, non solum ad esse physicum, sed etiam ad morale, ut tenderet in hoc eventum, nam cum illud physicum peccati productum cum advertentia, & deliberatione non possit non secum ferre malitiam ipsius peccati, Deus prædefiniendo ipsum physicum peccati, etiam saltem interpretativè, & virtualiter prædefiniret ejus malitiam formalem, quod implicat.

DISPUTATIO III.

De Causis Prædestinationis.

SECTIO I.

Virum dentur Causa aliqua nostra Prædestinationis?



1. **C**UM causæ prædestinationis possint esse, aut ex parte Dei prædestinantis; aut ex parte ipsius prædestinati; aut ex parte unius hominis iusti respectu alterius; aut ex parte Christi respectu omnium prædestinatorum, de his omnibus hinc specialem Sectionem suo ordine instituemus; in præsentem igitur inquirendum de causis prædestinationis ex parte Dei: Pro quo sit:

2. **D**ifficultas 1. Utrum, & quales sint causæ ex parte Dei ad nostram prædestinationem? Supponendum est primò, causam aut esse physicam, aut moralem: Physica est illa quæ physicè, & per physicum, ac realem influxum influit in effectum, & prout alibi diximus in Philosophia dividitur in formalem, materiale, finale, & efficientem: Moralis propriè est illa, quæ non influit physicè in effectum, sed applicat, & inducit moraliter causam liberam ad aliquid agendum, dividiturque in Meritoriam, Satisfactoriam, Impetratoriam, & Dispositivam, Dixi propriè, quia ipsamet causa physica,

si sit libera, propter ipsam libertatem, quam addit supra causam necessariam, dicitur etiam causa moralis, sed minùs propriè.

Supponendum secundò ex supra dictis, prædestinationem esse actus immanentes in Deo, sicque realiter idem cum ipsâ Essentiâ Divinâ, ac proinde secundum suam entitatem, & rationem formalem non habere in Deo ullam causam physicam, neque efficientem, quia in Deo nihil est factum: neque finalem, quia Deus ad nullum finem, nequidem ad se ipsum propriè ordinatur: neque materiale ac subjectivam, quia neque prædestinatio est accidens, neque in Deo ulla est potentia passiva: neque formalem, quia cum prædestinatio sit ipse Deus, & forma non formata, seu actus purissimus, non potest habere aliam causam formalem: habere tamen causam physicam, si sumatur in ordine ad effectum; siquidem cum hi sint entitates creatæ, qualis est gratia, & gloria, proprias habet causas physicas.

Supponendum tertio, solum hinc inquiri de causa morali prædestinationis, & hanc posse considerari, aut in ordine ad actus divinos secundum illud tantum, quod dicunt intrinsecum; aut in ordine ad ipsos actus secundum quod dicunt extrinsecum, sive quoad terminationem; aut in ordine ad effectus, qui ponuntur in prædestinato: Si primo modo, constans est inter Doctores, nullam habere causam, neque moralem; siquidem cum sit entitas increata, imò & ipse Deus, ut diximus, sicque omnibus modis necessaria, excludit omnem causam, à quâ dicat dependentiam; sicque tota difficultas procedit de causa morali secundo & tertio modo considerata.

Supponendum quarto, prædestinationem in ordine ad causam moralem prout sic consideratam sumi posse, aut adæquatè prout includit intentionem finis, & electionem mediorum juxta ea, quæ supra diximus: aut inadæquatè pro sola intentione finis, vel pro sola electione mediorum, imò & pro singulis singulorum mediorum electionibus, comprehendendo etiam primam vocationem, aut eam excludendo.

Supponendum quinto, difficultatem solum procedere de causa morali minùs propriâ prædestinationis nostræ; siquidem propria, etiam moralis in Deo esse non potest neque meritoria, neque satisfactoria, neque impetratoria, neque dispositiva. Patet, quia hujusmodi causæ in suo modo causandi aliquam involvunt imperfectionem in persona operante, quatenus hæc debet esse inferior, & subiecta personæ, apud quam meretur, satisfacit, imperat, & disponitur. Unde sermo tantum est de causa motiva, sive de objecto formali, quod est causa minùs propria respectu actuum divinatorum, prout terminantur ad extrinsecum. His suppositis.

Dico 1. In Deo aliqua fuit ratio specialis motiva præter consilium & libertatem divinam ad eligendum efficaciter ad gloriam aliquas creaturas rationales. Ita *D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. D. Thom. hic q. 23. & cum illis P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 25. n. 2. & 3.* Probatur primò ex illo ad Ephes. 1. 11. ibi: *Prædestinati secundum propositum... ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo.* Ubi gloriam Dei assignat rationem motivam nostræ prædestinationis; ergo &c.

Probatur secundò ratione, quia Deus semper operatur modo prudentiori; sed modus prudentior operandi est, quod Voluntas Divina ducatur ab aliqua

ab aliqua ratione motiva, quando hæc reperiri potest, quam quod à sola sua libertate ducatur; talis autem ratio illuc reperiebatur, nempe offensio divinæ gloriæ, bonitatis, liberalitatis, domini, ac sapientiæ, quatenus Deus ex se, nullis attentis meritis ex parte hominum, & Angelorum, eos ad tantum bonum eligebat, & ita sapienter conjungebat infallibilitatem sui decreti cum mutabilitate libertatis creatæ, ut neque illa hanc destrueret, neque hæc illam impediret; ergo Deus à tali ratione motus fuit ad aliquas creaturas rationales eligendas ad gloriam.

9. Dico 2. In Deo data etiam fuit causa motiva ad aliquos tantum Angelos, & homines eligendos, & non omnes, quot erant producendi. Ita P. Soar. cit. n. 4. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 1. n. 6. & alii communiter. Probatur primò, quia sic melius ostendebatur Misericordia divina, & ejus dominium, quatenus nullà prævisà inæqualitate ex parte eorum, aliquos præ aliis eligebat; ergo &c. Secundò, quia sic fuit necessarium ad ostendendam divinam Justitiam punitivam; quatenus hæc habet pro objecto creaturas rationales existentes in malis perditionis; ergo &c.

10. Difficultas 2. Utrum in Deo fuerit aliqua causa motiva ad eligendum hunc numerum prædestinatorum, & non majorem: & ad eligendum potius Petrum, quam Paulum? Dico 1. In Deo præter divinam libertatem, nulla data fuit causa motiva, quæ à nobis cognoscatur, ad eligendum hunc prædestinatorum numerum, & non majorem, neque minorē. Ita P. Soar. cit. n. 5. cum communi Theologorum. Probatur, quia sicut Deus decrevit aliquos ex possibilibus producere, ita etiam decrevit aliquos ex producibilibus eligere; sed nō potest reddi à nobis ratio, cur ex infinitis Angelis, & hominibus possibilibus elegerit Deus creare potius hunc, quam illum numerum; potius in hoc, quam in illo tempore; in hoc, quam in illo rerum ordine, nisi sola voluntas Dei libera; ergo neque ulla alia reddi poterit cur ex tot producibilibus elegerit potius hunc, quam illum numerum prædestinatorum. Confirmatur, quia licet ex pluribus prædestinatis magis ostenderetur Misericordia Divina erga electos; etiam minus ostenderetur Divina Justitia erga reprobos, si essent pauciores; ergo &c. Accedit, quod etiam erga electos minus ostenderetur divina Misericordia; siquidem quod pauciores sunt electi, eò magis ostenditur Misericordia erga singulos.

11. Dico 2. Nulla data fuit causa motiva ex parte Dei, cur eligeret potius hunc numero hominem, nempe Petrum, quam illum, nempe Judam. Ita P. Soar. cit. cum D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. P. Tanner. de prædest. d. 3. quest. 4. dub. 1. num. 10. Richard. in 1. dist. 41. a. 2. q. 2. Hervæus in 1. dist. 40. q. 1. Durand. in 1. dist. 41. q. 2. P. Mol. 1. p. q. 23. a. 5. d. 1. memb. 6. P. Pereira ad Rom. 9. d. 12. & 13. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 6. n. 47. & alii. Probatur primò ex Scriptura Matth. 20. 13. Amice non facio tibi injuriam.... volo & huic dare sicut & tibi..... aut non licet mihi, quod volo facere? Et ad Rom. 9. Cujus vult miseretur, & quem vult indurat. & ibidem. Antequam quidquam boni, aut mali egissent. Et non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: ex quibus, & aliis similibus locis colligitur, totam rationem motivam ex parte Dei ad eligendum potius hunc, quam illum fuisse solam ejus voluntatem, & libertatem; ergo &c.

12. Probatur secundò, ex Sanctis Patribus, D. Aug. lib. 1. de prædestinat. Sanctior. cap. 8. Cur ergo, ait, non omnes docet, ut veniant ad Christum? Nisi quia

Tom. 1.

omnes, quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, judicio non docet; quoniam cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. Idem habet cap. 9. & lib. de bono persever. cap. 8 & cap. 11. & tract. 26. in Joan. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & lib. de Spirit. & liter. cap. 34. Et D. Prosper. lib. ad excerpta Genuens. respons. ad dub. 9. Quare autem, inquit, non omnes, aut quare illos potius, quam illos liberat, nec necessarium est querere, nec possibile reperire: cum omnis discretionis istius causis, scire sufficiat, quod nec Misericordia Justitiam, nec Justitia auferat Misericordiam apud eum, à quo nemo nisi justè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur. Idem habet Respons. ad dub. 4. & 7. & habet D. Fulgent. & alii Sancti Patres, de quibus supra d. 3. an.

13. Probatur tertio rationibus: Prima, quia nullus hæcenus assignavit aliquam rationem hujus electionis ex parte Dei præter ejus liberam voluntatem; ergo signum est, quod non detur alia ab hominibus cognoscibilis. Secunda, quia non assignatur ratio aliqua motiva ex parte Dei, præter ejus liberam voluntatem, cur potius elegerit hanc humanitatem, & non aliam æquè perfectam, aut perfectiorem ad Unionem Hypostaticam: ex duabus partibus materiæ elegerit hanc ad formam hominis, & illam ad formam equi; sicque de aliis, ergo neque cur elegerit potius hunc, quam illum hominem ad gloriam. Tertia, quia æquè manifestarentur Attributa Divina, si sortibus mutatis, Petrus, qui de facto est prædestinatus, reprobaretur, & Paulus, qui de facto est reprobus, eligeretur; ergo quod ille, & non iste fuerit electus, solum habuit rationem motivam in voluntate Dei liberâ sic eligentis.

14. Dices 1. cum D. Bonav. in 1. dist. 41. a. 1. quest. 2. Aureol. in 1. dist. 41. q. 1. P. Granad. tract. 10. d. 2. sect. 5. quatenus inquit, Deum ita fuisse moraliter necessitatum ad salvandos hos numero, qui de facto salutem præ aliis consequuntur, ut si ita non fecisset, non esset Deus: Fundatur, quia Deus necessitatur ad illud, quod est melius moraliter; sed melius moraliter erat, quod salvarentur, qui de facto salvantur, quam alii; ergo &c. Respondeo negando majorem, ut patet ex alibi dictis in Philosophia tom. 1. tr. 5. d. 5. an. 409. data tamen majori, unde probatur fuisse moraliter melius salvari hunc numero Petrum potius, quam Paulum, si Deus, illo omisso, hunc eligeret; cum autem non appareat unde probetur, ideo absolute neganda est minor.

15. Dices 2. Passim in Scriptura commendatur divinum Consilium, & Sapientia in eo, quod potius hi, quam illi salventur; sed si tota causa esset voluntas divina, non ita id faceret, cum satis esset, si uno verbo diceretur: Ideo salvantur, quia Deus ita voluit, quin esset necessarium recurrere ad thesaurum Sapientiæ, & Scientiæ divinæ, ut patet ex illo ad Rom. 11. 33. O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei; ergo aliqua fuerunt causæ occultæ præter Voluntatem Divinam, quas tamen ignoramus, & solus Deus scit, propter quas Deus potius hos, quam illos voluit salvare, & quas nos postea sciemus in cælo, ut ait D. Aug. in Enchirid. cap. 95. ibi: Tunc non latebit, quod nunc latet, cur scilicet ille potius, quam iste fuerit assumptus, cum causa una fuerit ambobus. Respondeo negando minorem; neque enim in illo consilio, & Sapientiâ significatur aliquid diversum à Libertate Divina, ut patet ex locis citatis num. 11. quam D. Aug. etiam dicit à nobis in cælo clarè, & sine dubitatione cognoscendam, nempe quod sola Voluntas divina fuerit tota causa nostræ electionis, sine alia ratione

L1

motiva,

motivâ, licet nos nunc lateat, & non ita clarè illam cognoscamus.

16. Advertes tamen, si adhuc perseveres, & affirmes, Deum propter aliquas rationes motivas sibi notas, nobis verò ignotas, hos potius, quàm illos elegisse, me non multum restitutum, dummodò admittas, potuisse etiam in se invenire alias infinitas æquales, & fortè meliores ad eligendos alios plures diversos, quibus de facto non fuit usus, utpotè qui non tenebatur eligere melius, in quo sensu locutus sum cum P. Arriaga cit. num. 50. Et ratio est, quia Deus, cum sit agens rationale perfectissimum, non potest non agere propter aliquam rationem motivam ultra suam libertatem, licet opus non sit, quod noster intellectus semper eam assequatur ob limitationem sui luminis; ergo &c.

SECTIO II.

Virum detur aliqua causa prædestinationis ex parte prædestinati?

17.  DVERTES, quæstionem solùm procedere de causâ morali motivâ, meritoriâ, satisfactoriâ, impetratoriâ, & dispositivâ; nam de causâ physica jam supra diximus, non habere locum in Deo. Hoc posito.
18. Difficultas 1. Utrùm in prædestinato præcesserit aliqua causa motivâ, quâ Deus fuerit excitatus ad illum prædestinandum? Conclusio 1. Ex parte prædestinati præcessit causa motivâ ad aliquam tantum decreta prædestinationis. Ita P. Saur. de prædest. lib. 2. cap. 2. n. 8. P. Alarcon. de prædest. d. 3. num. 5. & alii. Probatur primò, quia Deus ex intentione nostræ gloriæ motus est ad decernendam nobis gratiam finalem, & propter hanc donum perseverantiæ, & propter hoc singula auxilia subordinata usque ad primam vocationem; sed gloria habet se ex parte prædestinati, & illa decreta pertinent ad prædestinationem; ergo jam ex parte prædestinati præcessit aliqua ratio motivâ quoad aliqua decreta prædestinationis.
19. Probatur secundò, quia ad rationem motivam non requiritur, quod semper influat in voluntatem, sed satis est, si illam inclinet ad effectum; atqui salus prædestinati, posita divinâ intentione efficaci, inclinavit Voluntatem Divinam ad eligenda media, sicut oratio inclinat ad id, quod petitur; miseria ad misericordiam; & peccatum ad justitiam; ergo ipsa salus fuit ratio motivâ ex parte prædestinati, quâ Deus fuit excitatus ad ponenda illa decreta.
20. Dices 1. Voluntas divina non movetur, nisi à se ipsa, ut ait D. Thom. & deducitur ex illo Prov. 16. ibi: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus*; ergo neque respectu unius decreti potuit dari ex parte prædestinati aliqua ratio motivâ. Respondeo D. Thomam, sicut & alios Theologos, solùm asseruisse, Voluntatem divinam non moveri, nisi à se ipsa, tanquam ab ultimo fine; hoc tamen non tollere, quod etiam possit moveri à creaturis ut à finibus non ultimis, in quo sensu est etiam intelligendus citatus locus.
21. Dices 2. Si daretur talis causa motivâ ex parte prædestinati, hæc esset vera causa finalis respectu decretorum Dei; sed implicat, quod extra Deum

detur talis causa; cum ipse sit omnium creaturarum principium, & finis juxta illud Apoc. 22. 13. *Ego sum principium, & finis*; ergo &c. Respondeo rationem illam fuisse causam finalem decretorum Dei secundum solam terminationem ad extrinsecum, nempe ad creaturas; & non secundum esse intrinsecum; nam secundum hoc, cum actus divinus sit ipse Deus, sicque ens à se, & per essentiam omnibus modis, à nulla creatura potest causari, neque ut ab efficiente, neque ut à fine, cum potius ipse sit omnium illarum prima Causa efficiens, & ultimus finis, quod intendit Scriptura loco citato.

Conclusio 2. Ex parte prædestinati non præcessit causa motivâ respectu totius prædestinationis adæquatè sumptæ. Ita Doctores citati. Probatur, quia intentio salutis pertinet ad prædestinationem, imò est ipsa prædestinatio formaliter, ut supra diximus; & tamen ad illam non præcessit ulla causa motivâ ex parte prædestinati, ut patet ex supra dictis, & patebit ex dicendis, cum potius illa fuerit finis omnium aliarum rerum, quæ spectant ad prædestinationem; ergo ad totam prædestinationem adæquatè sumptam non præcessit aliqua causa motivâ ex parte prædestinati.

Dices: Ex parte Dei præcessit causa motivâ totius prædestinationis; ergo etiam ex parte prædestinati. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ex parte Dei assignatur ejus gloria: at verò ex parte prædestinati nihil apparet, quod possit assignari. Urgebis: Ex parte Dei assignantur etiam ejus bonitas, & liberalitas; ergo ex parte prædestinati poterunt assignari ejus miseria, & fragilitas. Respondeo Bonitatem, & liberalitatem divinam fuisse causam motivam ad eligendos aliquos, non tamen hunc, aut illum, cum æquè in quolibet manifestarentur: Undè etiam similiter miseria, & fragilitas, cum æquè sint in quolibet, poterunt esse motivum ad eligendum aliquos, non tamen hunc, aut illum, in quo sensu procedit resolutio.

Replicabis: Gloria divina, propter quam Deus voluit decreta, & omnes effectus prædestinationis, nihil aliud est, quàm manifestatio perfectionum divinarum; sed talis manifestatio est ex parte prædestinati, siquidem talis manifestatio formaliter est cognitio talium perfectionum existentium in ipso prædestinato; ergo jam ex parte illius præcessit aliqua ratio motivâ totius prædestinationis. Respondeo distinguendo minorem: est ex parte hujus prædestinati per accidens; concedo minorem: per se; nego minorem: non est per se, quia satis est, quod talis manifestatio sit in aliis, & necesse non est, quod sit in hoc ipso prædestinato, ideoque, si in illo detur, est tantum per accidens, ac proinde solùm per accidens erit ratio motivâ illius prædestinationis adæquatæ; quod nos non negamus, sed tantum quod per se loquendo detur in illo. Accedit etiam dici posse, gloriam divinam, quæ est ratio motivâ prædestinationis adæquatè, non esse manifestationem illam, sed actum complacentiæ divinæ inde ortum; consequenterque esse aliquid increatum existentem in Deo, & non in prædestinato.

Difficultas 2. Utrùm detur causa meritoria prædestinationis ex parte prædestinati? Variè in hac re errarunt hæretici varias assignantes causas prædestinationis totales ex parte prædestinati, quas jam supra retulimus, & hic iterum referemus, his exceptis, quibus eorum sententias refutavimus. Primus error fuit Manichæorum, & Priscillianistarum

affertur afferentium causam prædestinationis, & reprobationis ex parte hominum esse diversa corporum temperamenta accepta ex diversa constellatione, sub qua singuli nati sunt, adeo ut prædestinati sint, qui bono temperamento sunt præditi, & sub bona constellatione nati: è contra verò reprobi, qui sub malâ. Unde negarunt omnem causam moralem ex parte hominum, omnemque eorum libertatem, & solam causam physicam naturalem assignarunt, ut excusarent eos, qui damnantur, quatenus dicebant necessitate quadam damnari; & expellerent omnem occasionem se gloriandi ab eis, qui salvantur, quatenus assererent etiam necessariò salvari.

26. Huiusmodi error damnatus fuit à Concil. Bra-
charen. 1. cap. 8. & à Leone I. in Epist. 91. ad Turi-
bium cap. 11. illumque improbant D. Aug. lib. de
heresibus cap. 70. D. Hieron. Epist. 8. D. Greg. hom.
10. in Evangel. D. Prosper. lib. 1. de Vocatione gent. cap. 14.
& cum illis P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 4. num. 2.
Convincitur primò ex illo Jerem. 10. *A signis
cæli nolite timere, quæ gentes timeant.* Secundò, quia
Jacob, & Esau sub eadem constellatione nati sunt;
& tamen dispar fuit eorum eventus, ut patet ex illo
ad Rom. 9. 13. *Jacob dilexi, Esau autem odio ha-
bui.* Tertiò, quia inter infideles multi inveniuntur
optimo temperamento, & constellatione nati; &
inter fideles multi sancti malo temperamento, &
constellatione nati; & tamen neque hi damnan-
tur, neque illi salvantur. Quartò, quia neque tem-
peramentum, neque stellarum constellatio aufe-
runt libertatem ad bonè, aut malè operandum; ergo
ex illis non potest desumi causa prædestinationis,
aut reprobationis.

27. Secundus error fuit discipulorum Valentini, &
Basilidis dicentium, diversas esse naturas anima-
rum, quasdam esse terrenas, ac necessariò addi-
ctas terrenis cupiditatibus, & has reprobari: quas-
dam verò spirituales, quæ peccare non possunt, &
has prædestinari. Rejicitur primò, quia satis con-
stat inesse hominum animis liberum arbitrium ad
peccandum, aut non peccandum. Secundò, quia
si opera animarum, tam terrenarum, quàm spiri-
tualium sunt necessaria, neque harum opera sunt
bona, sicque neque causa prædestinationis; ne-
que illarum opera sunt peccata, sicque neque cau-
sa reprobationis. Tertius error fuit Origenis exi-
stimantis, animas ante hunc mundum fuisse crea-
tas, & tunc alias bona, & alias mala opera egisse,
easque, quæ bona egerunt, post unionem ad cor-
pus prædestinatas fuisse, quæ verò mala, fuisse
damnatas. Hic Origenis error fuit damnatus prout
supra diximus d. 2. n. 271.

28. Quartus error fuit Lutheri, & Calvinii asseren-
tium, solam Voluntatem Divinam fuisse totalem
causam nostræ prædestinationis, & quoad primam
intentionem, & quoad ejus executionem, quin ali-
quis ejus effectus possit ab hominibus mereri, quod
asserunt, quia nullam libertatem moralem in no-
bis agnoscunt in ordine ad res supernaturales, licet
eam concedant in ordine ad res civiles, sicque af-
firmant, Deum sine causa reprobare, necessitatem
peccandi inducens, & prædestinare, inferens ne-
cessitatem bonorum operum, ita ut in nobis & bona
& mala operetur, prout supra diximus d. 2. n. 230.
& 276. Hic error tanquam hæreticus damnatus
fuit à Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. & 6. & Can. 4.
ibi: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à
Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentien-
do Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam
justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque*
Tom. 1.

possit dissentire, si velit, sed veluti inanimè quod-
dam nihil omnino agere, merèq; passivè se habere: a-
nathema sit. Et Sess. 14. cap. 8. & 9. ubi definit dari
in nobis veram satisfactionem erga Deum, quæ
stare non potest sine libertate morali. Et Sess. 6.
cap. 7. ubi repetens illud Christi Domini Matt. 19.
17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* declarat,
observantiam liberam mandatorum nobis acqui-
rere salutem in executione. Contra hunc etiam
errorem sunt illud Zachar. 1. 3. *Convertimini ad
me, & ego convertar ad vos.* Ubi Trid. Sess. 6. cap. 5.
Libertatis nostræ, ait, admonemur. Et illud 1. Reg.
7. 3. *Preparete corda vestra Deo.* Et illud Prov. 16. 1.
*Hominis est animam præparare, & Domini guberna-
re linguam.*

Quintus error fuit Pelagianorum affirmantium,
sola opera bona naturalia ex libero arbitrio facta
sine auxilio gratiæ fuisse causam nostræ prædesti-
nationis. Hic etiam error fuit damnatus à pluribus
Conciliis, & Sanctis Patribus, ut diximus supra
d. 2. n. 272. & 273. Sextus error fuit Semipela-
gianorum, qui hunc Pelagii errorem per alium li-
mitarunt, de quo nos etiam supra d. 2. n. 274. ubi
n. 275. illum esse damnatum ostendimus. Quales-
nam sint in hac re Catholicorum sententiæ vide
apud P. Tanner. d. 3. de Prædest. q. 4. dub. 4. per to-
tum. Ubi sex assignat Doctorum sententias diver-
sas, quas modò eximare longius esset, cum ad
alia pertractanda nobis tempus non sufficiat.

SECTIO III.

Proponitur, & defenditur Senten- tia tenenda.

Dico 1. Nulla data fuit causa meritoria ex
parte prædestinati ad primam ejus electio-
nem, tam ad gloriam, quàm ad media,
sed ratio eligendi hunc potius, quàm il-
lum fuit beneplacitum divinum. Ita D. Thom. 1. p. q.
23. art. 5. & 3. contr. gent. cap. 161. & 163. ubi Caiet.
Bannez, Zumel, Ferrar. Magist. in 1. dist. 40. &
41. Scot. Durand. Greg. Capreol. Egid. Richard.
Major. Hispan. D. Antonin. 4. p. tit. 14. cap. 12. S.
4. Abul. in Matt. 20. q. 11. Cordub. lib. 1. q. 56.
Marfil. in 1. d. 41. art. 2. Arimin. dist. 41. quasi. 1.
Driedo de Concord. liber. & prædest. part. 1. cap. 3.
Sotus in Rom. cap. 9. P. Bellarm. lib. 2. de grat. &
liber. arbit. cap. 14. & sequent. P. Valent. hic q. 23.
punct. 4. S. 4. P. Molin. hic art. 5. d. 1. memb. 11.
P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 23. num. 20. P. Vasq.
d. 91. cap. 11. P. Less. de prædest. sect. 1. P. Tanner. d.
3. de prædest. q. 4. dub. 5. num. 22. & alii. Probatur
primò autoritate Scripturæ. Psal. 30. *In manibus
tuis sortes meæ,* ubi ex D. Aug. nomine sortes in-
telliguntur electiones ad salutem, & ad media ex
mera Dei liberalitate sine nostris meritis nobis
concessæ. Et ad Rom. 9. 11. *Cum non dum nati es-
sent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c.* Et in-
frà 14. *Misereror, cujus misereor, & misericor-
diam præstabo, cujus miserebor.* Igitur non volentis,
neque currentis, sed misereoris est Dei. Ubi divinæ
prædestinationis consilium in solam Dei Miseri-
cordiam refertur. Et ad Ephes. 1. *Elegit nos, ut
essemus sancti, &c.* Ut essemus, ait, non quia jam era-
mus sancti; ergo sanctitas est effectus, & non causa
meritoria illarum electionum. Hoc idem habetur
pluribus aliis locis supra citatis d. 2. à num. 284.
Confirmatur autoritate Sanctorum Patrum, &
Conciliorum, de quibus supra loco proximè cita-
to n. 305. & 321.

L. 1 2

Probatur

31. Probatur secundò rationibus: Prima, quia ut supra diximus, intentio dandi gloriam, & electio mediorum fuerunt ante prævisa merita in esse absoluto; siquidem intentio fuit ante electionem, & electio fuit ante ipsa merita; cum sit eorum causa; sed in illis consistit prædestinatio ex parte Dei, ut etiam supra diximus; ergo prædestinatio ipsa nullā supponit causam meritoriam ex parte prædestinati.

32. Secunda, quia prædestinatio est opus Misericordiae, & non Justitiæ Divinæ, ut constat ex illo ad Tit. 3. ibi: *Non ex operibus justitia, qua fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*; sed non ita esset, si aliquam supponeret causam meritoriam; ergo &c. Tertia, quia prædestinatio fuit principium totius meriti; siquidem ex intentione efficaci salutis orta fuit electio mediorum, sive meritorum, quod est idem, & ex ipsa electione orta sunt merita; sed principium meriti non potest cadere sub meritum; ergo neque prædestinatio habet causam meritoriam. Vide alias rationes supra d. 2. a. n. 325.

Argues 1. Idèd merita prædestinatorum non essent causa meritoria primæ electionis, neque possent eam mereri, quia sunt post illam; sed hoc non obstat; siquidem etiam opera Christi Domini fuerunt post gratiam datam primis Parentibus; & tamen eam ipsis meruerunt; ergo &c. Respondeo distinguendo minorem: non obstat, si essent posteriora solum in tempore; concedo minorem: si sint posteriora, non solum in tempore, sed etiam in existentia objectivā; nego minorem: nam cum meritum sit causa efficiens moraliter, debet prævideri existens, ut causet: talia autem non fuerunt merita prædestinatorum; siquidem prædestinatio fuit eorum causa etiam in existentia objectiva, consequenterque prior illis etiam ita sumptis: at verò merita Christi Domini, licet fuerint tempore posteriora gratiā datā primis Parentibus, fuerunt tamen priora in existentia objectivā, & prout sic potuerunt esse causa meritoria illius.

34. Argues 2. Rex dat equum militi, ut per bonum illius usum in bello solvat eum: homo vendit vineam, ut mercator ex ejus fructibus solvat pretium: & sapius datur pecunia operario in mercedem operis futuri; ergo etiam potuit Deus primò prædestinare motus, ut ex causa meritoria, ex meritis, quæ ex ipsa prædestinatione postea sequerentur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in Rege equus datus non habet rationem præmii; neque enim possunt præmiari merita, quæ adhuc non sunt, & de quibus dubitatur, an sint futura; sed solum habet rationem medii ad habenda merita, ut finem, per pugnam; finis autem non movet, quia jam est, sed ut sit: at verò meritum movet, quia est, & habet rationem causæ efficientis moralis, ideòque opus est, quod prævideatur existens, antequam causet voluntatē dandi præmium; cum autem non ita prævideatur merita, non possunt esse causa meritoria talis voluntatis, sive prædestinationis.

35. Ad alia exempla eodem modo respondemus, dicimus enim, venditionem vineæ, & donationem pecuniæ ad faciendum opus, esse tantum media ad solutionem, & opus faciendum, ut ad finem, quod non repugnat in contractibus, ideòque etiam non repugnat, quod fiant ante eorum prævisionem in esse absoluto, sicut repugnat in præmio. Addo, sicut Rex primò movetur gratis ex parte actus ad dandum equum militi propter pugnam; homo ad vendendam vineam; & conductor ad dandam pecuniam operario; ita etiam posse Deum moveri

primò gratis ex parte actus ad dandam gloriam, licet tradendam in executione per merita; hoc tamen non est mereri ipsam primam electionem, sed postea ejus executionem, & traditionem, de quo non est questio.

Argues 3. Idèd prædestinatio non haberet causam meritoriam ex parte prædestinati, quia Scriptura id affirmat, quatenus dicit, homines fuisse gratis, & liberaliter electos; sed hæc ratio non obstat; siquidem etiam Scriptura, & Concilia affirmant, homines gratis & liberaliter justificari; & tamen communis sententia in materia de merito asserit, eos mereri de congruo ipsam primam justificationem per ultimam dispositionem ad illam; ergo &c. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem datur diversa ratio, quia prima justificatio supponit primum auxilium, & in eo fundatur, quod cum sit gratis, & liberaliter donatum, etiam ipsa dicitur gratiosa, si non formaliter in se, quia meretur de congruo ab ea ultima dispositione, saltem in radice: at verò prædestinatio in ea prima electione nullum supponit meritum supernaturalis etiam de congruo, ut ratione illius dici possit habere causam meritoriam, saltem in radice, ac proinde tota est liberalis, & gratiosa.

Argues 4. Si non datur causa meritoria prædestinationis ex parte prædestinati, sequitur non esse in ejus manu ponere se in numero prædestinatorum, neque in manu reprobi ab eo se excludere; sed hoc est falsum: tum quia inde sequeretur illum necessariò salvari, & hunc damnari: tum etiam quia est contra D. Aug. ita suadentem: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus negando majorem; dicunt enim, prædestinationem, neque ponere necessariò salutem, cum prædestinatus possit non salvari: neque in se esse necessariam ad salutem, cum adhuc reprobis sine illa possit consequi salutem, ad quam habet auxilia sufficientia. Non placet, neque enim bene conjunguntur hæc duo: *Salvari, & non esse prædestinatum: & damnari, & esse prædestinatum*: licet enim prædestinatus specificativè loquendo, adhuc habeat facultatem, ut non salvetur, & reprobis, ut salvetur, est tantum potestas physica, & non moralis; siquidem facta suppositione, ille necessariò salvabitur, & hic necessariò damnabitur: unde:

Respondeo secundò distinguendo majorem: sequitur non esse in manu ejus ponere se in numero prædestinatorum per aliquod meritum antecedens; concedo majorem: per cooperationem cum auxilio, complendo illud in ratione efficacie per consensum conditionatè prævisum; nego majorem: nam licet prima electio, & donatio auxilii tota sit à Deo, ut tamen ipsa electio, & auxilium compleantur in ratione efficacie, pendent à consensu liberi arbitrii; ideò enim vocatio est, aut non est congrua, quia ita eam facit prædestinatus cooperando, & non ita facit reprobis non cooperando; sicque in manu eorum est secundum hoc complementum poni, aut non poni in numero prædestinatorum: at verò non ita est, ut primò eligantur, aut eis donetur illud auxilium, quod requiritur datur reprobo, & prædestinato, & Deus libere dat, ut vult, & quando vult.

In tabis: Si prædestinatio in tantum esset in nostra manu, & salus nobis esset libera, in quantum cooperando auxiliis possumus reddere efficax auxilium nobis datum, sequeretur ipsam prædestinationem, & salutem non esse in potestate multorum; siquidem multis non dantur auxilia supernaturalia.

naturalia, nempe gentilibus, qui nihil unquam de fide audierunt; sed hoc est falsum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ad cuius probationem dicimus, per eos stare, ne aliquando habeant ipsa auxilia: tum quia saltem aliquando dubitarunt circa fidem, quam profitentur, & cum ex hac dubitatione potuissent inquirere veritatem, non ita inquisierunt: tum etiam, quia saltem resistere poterant peccatis, per quæ fiebant indigni habendi tales illuminationes, & inspirationes, & non ita restiterunt ponendo obicem divinæ gratiæ; Deus autem solum voluit dare illam liberaliter non ponentibus ipsum obicem; sicque per illos stat, ne sint prædestinati, neque salventur.

40. Argues 5. Opera bona naturalia poterant esse causa meritoria totius prædestinationis: primò, quia mala merentur reprobationem; ergo etiam bona poterant mereri æternam electionem: secundò, quia non sunt demeritoria; ergo sunt meritoria; cum non possint esse omnino indifferencia in ordine ad præmium, aut poenam, utpote determinatè bona: tertio, quia aliquando fiunt ab homine sancto; ergo sunt sancta, & Deo grata; consequenterque non possunt non esse meritoria præmii supernaturalis, ut in simili dicitur de similibus operibus factis à Christo Domino; sed hujusmodi opera poterant antecedere electionem ad gloriam, & ad media, ergo jam potuit dari causa meritoria totius prædestinationis ex parte prædestinati.

41. Respondeo primò negando majorem, nam causa meritoria exigit præmium tanquam suum effectum morale, ei que ob talem exigentiam debetur: at verò opus naturale non ita exigit, neque ei debetur præmium supernaturale, cum hoc sit supra omnem exigentiam, & debitum naturæ. Ad primam probationem datur diversa ratio, quia plus requiritur ad electionem, quam ad reprobationem: hæc enim, cum sit malum, sequitur ex quocumque defectu: at verò illa cum sit bonum, non nisi ex integra causa. Ad secundam dicimus, talia opera esse meritoria solius præmii naturalis, cum quo habent proportionem, & cujus exigentiam habere possunt, nisi imperentur à charitate, aut ab alia virtute supernaturali; nam tunc erunt etiam meritoria præmii supernaturalis, non tamen propter honestatem naturalem sibi intrinsicam, sed tantum propter extrinsecam participatam à virtute imperante.

42. Ad tertiam probationem dicimus, talia opera non sanctificari à gratia, licet hæc detur in supposito, & sanctificet naturam; siquidem non influit in talia opera, sed habet se tantum per accedens respectu illorum, cum possent æque fieri, etiam si non daretur ipsa gratia: sanctificat verò naturam, quia cum illa unitur ut ejus forma, cui communicat suum effectum formalem; non autem sic unitur operibus naturalibus, ut eis suum effectum communicet. Ad illud de Christo Domino eodem modo respondent aliqui. Alii verò in illo concedunt, & diversitatem assignant, quia Sanctitas Christi Domini pertinet ad constitutionem suppositi; cum autem actiones, etiam naturales sint suppositi, etiam has sanctificat, & dignificat in Christo Domino ejus Sanctitas: at verò sanctitas sive gratia accidentaliter non ita constituit hominem, idèdque non sanctificat omnia ejus opera, sed ea tantum, ad quæ concurrunt per virtutes supernaturales, ut per suas proprietates. Accedit, argumentum quoad hanc probationem supponere, dari gratiam in subiecto, cum tamen à principio supponat nullam dari.

43. Respondeo secundò cum P. Arriaga hic d. 37. sect. 1. n. 9. data majori, & minori, negando consequentiam: nam admissio, quod ante electiones ad gloriam, & ad media detur aliquod bonum opus naturale, quod sit illarum causa, tunc prædestinatio deberet incipere ab auxilio naturali requisito ad tale opus; siquidem ab illo connexionem quadam inferret totum negotium prædestinationis; cum autem tale auxilium naturale non posset cadere sub meritum, cum esset ante omne meritum, etiam naturale, adhuc in ea hypothese tota prædestinatio non posset cadere sub meritum, neque habere causam meritoriam.

44. Instabis: Homo in statu puræ naturæ per contritionem naturalem poterat mereri de condigno remissionem peccati, saltem venialis; & tamen ipsa remissio esset donum supernaturale, siquidem esset ejusdem rationis cum hac, quæ de facto datur, quæ supernaturalis est; ergo jam per opus naturale potest mereri præmium supernaturale. Respondeo data majori, de qua in materia de Poenitentia, negando minorem: nam tunc ipsa remissio fieret, aut per gratiam naturalem; aut per solam condonationem naturalem extrinsecam; siquidem homo tunc non esset elevatus ad statum supernaturalem; sicque esset diversa ab hac, quæ de facto datur: hæc enim, cum de lege ordinari non fiat, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, & ipsa infusio sit supernaturalis, etiam talis erit ipsa remissio.

45. Utgebis: Sacramenta, cum sint naturalia, eleventur à Deo, ut producant gratiam supernaturalem; ergo etiam, ut eam mereantur; idemque dicendum de illa contritione naturali. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia Sacramenta sunt tantum causæ instrumentales, Deus autem est causa principalis, in cujus virtute illa operantur, & producant effectum supernaturalem: at verò meritum est causa principalis respectu præmii, Deus autem nihil meretur, sicque non possunt elevari ad merendum; licet enim causa instrumentalis possit elevari ad effectum supernaturalem, non ita elevari potest causa principalis naturalis. Addunt aliqui, Sacramenta esse tantum causas efficientes; meritum autem non ita, sed etiam est causa formalis, quatenus ita moraliter producit in præmiante voluntatem præmiandi, ut etiam disponat subiectum formaliter ad illud, dando ei condignitatem ad illud per sui communicationem; sic licet causa purè efficiens possit elevari, non ita potest, quæ est simul efficiens, & formalis; siquidem cum ut formalis communicet suum effectum per suam essentiam à se indistinctā, & hæc sit immutabilis, non potest elevari ad causandum effectum diversum, atque illa est in se.

46. Argues 6. Merita in ordine intentionis sunt prius, quam prima auxilia: tum, quia posita electione ad gloriam, statim merita sunt futura: tum etiam quia in executione sunt posteriora ipsis auxiliis; quæ autem sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione; ergo sic prævisa potuerunt esse causa meritoria ipsorum auxiliorum. Respondeo distinguendo antecedens: sunt prius, quam prima auxilia in decreto eligente; concedo antecedens: in se; nego antecedens: nam ut viderentur futura in se, debebant videri cum omnibus suis causis, & non ita tunc videntur, ut supponit argumentum, siquidem non videntur auxilia, & gratia, quæ etiam sunt eorum causa: at verò, ut res sit causa meritoria, debet esse futura in se, & non solum in alio; neque enim sufficit, quod ignis videatur existens in decreto

decreto divino, ut possit causare, sed necesse est, ut existat in se; sicque similiter.

47. Dico 2. Pars, tam prædestinationis, quam effectuum illius, quando tendit ad executionem, supponit causam meritoriam ex parte prædestinati. Probatum primò, quia ex Trid. Sess. 6. cap. 5. & 6. homo disponit se per penitentiam, & actus aliarum virtutum ad primam gratiam, ita ut Deus intuitu illarum det eam, saltem de congruo; sed hi sunt effectus prædestinationis; ergo jam aliqui habent causam meritoriam, saltem de congruo, ex parte prædestinati. Secundò, quia Deus non movetur ad dandum in executione augmentum gratiæ, imò & ipsam gloriam, nisi præcedentibus nostris meritis; alioqui ipsa gloria non acciperetur ut præmium, & corona iustitiæ, ut docet Apostolus 2. Tim. 4. 8. ibi: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*; sed illa est magna pars prædestinationis, & effectus illius; ergo hæc supponit causam meritoriam ex parte prædestinati.

48. Tertiò, quia in Scriptura sæpius significatur, prædestinationem supponere causam meritoriam, ut patet ex illo 1. Cor. 2. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Et Matt. 25. 23. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam*. Idemque docent D. Amb. lib. 5. de Fide cap. 3. D. Aug. serm. de Verbis Domini. & alii Patres; sed non ita supponit in prima electione, ut probavimus; ergo illam supponit in executione.

49. Dico 3. Pars prædestinationis, & effectuum illius, neque in executione supponunt causam meritoriam ex parte prædestinati. Ita Doctores supra citati cum communi Theologorum. Probatum, quia voluntas dandi primas vocationes congruas, & prima auxilia excitantia, pertinet ad prædestinationem, ut nullus dubitabit; & tamen non supponit causam meritoriam ex parte prædestinati, etiam in executione, ut sæpè explicat Scriptura. Joan. 6. ibi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*; & sæpè alibi: & ut definitur in Concil. Araus. 2. can. 25. ibi: *Ipse nullis præcedentibus meritis bonis, & fidem, & amorem sui imperat, ut baptisimi gratiam requiramus*; Et in Trid. Sess. 6. cap. 5. asserente, *Exordium justificationis sumi ex divina vocatione, nullis præcedentibus meritis*; & hoc idem approbat commune illud Theologorum axioma: *Principium meriti non potest dari in præmium ipsius meriti, sive non cadit sub meritum*; ergo jam pars prædestinationis, & effectuum illius non supponit causam meritoriam ex parte prædestinati.

SECTIO IV.

Virum bona opera naturalia fuerint saltem causa dispositiva Prædestinationis?

50. UPPONO primò, dispositionem dupliciter distinguì à merito: Primò in eo, quod meritum sit obsequium cedens in utilitatem, & honorem præmiantis; & non ita pura dispositio. Patet in dotibus virtutum, ac litterarum, quæ sunt dispositiones ad hoc, ut religiosus eligatur in prælaturam; & tamen non sunt ejus meritum. Secundò in eo, quod meritum respiciat præmium indifferenter, aut sibi, aut

aliis conferendum juxta promissionem, & acceptationem Dei, & non ita dispositio; siquidem hæc solum respicit rem conferendam ipsi personæ operanti, quam disponit, ac dignificat.

Suppono secundò, dispositionem sumi posse, aut positivè, aut negativè. Positivè sumitur, quando ponit aliquid conducens ad formam, ad quam disponit; quod etiam fit, aut directè, ut quando ponit aliquid exigens formam, aut saltem terminans ejus exigentiam: aut indirectè, quando ponit aliquid removens impedimenta, quibus remotis, forma aliquo modo debetur subiecto. Negativè sumitur, quando, licet non moveat positivè ad formam, non ponit tamen impedimenta ad illam, in quo sensu subiectum minus indispotum dicitur magis dispositum; hoc autem non habet meritum; siquidem semper debet ponere aliquid positivum factum in obsequium præmiantis, & non sufficit, quod persona, quæ meretur, habeat se merè negativè. His suppositis.

Difficultas 1. Utrum bona opera naturalia poterint disponere positivè ad prædestinationem directè, aut indirectè? Negativè. Est communis Theologorum. Ita D. Thom. 1. p. q. 23. a. 5. D. Bonav. Alef. P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 7. n. 22. P. Tanner. hic d. 3. q. 4. dub. 5. num. 1. ubi dicit hanc assercionem, licet non sit aperte de fide, esse tamen adeò certam, ut oppositum non sit tutum, ut communiter censent Doctores, quorum plures citat dub. 5. n. 22. & nos supra citavimus num. 30. Probatum primò ex Scriptura sæpius docente in iis, quæ ad salutem pertinent, hominem nihil præstare, neque vitare peccata, neque ab illis posse esse immunem sine gratia, neque hanc posse folis viribus naturæ comparare. Et in primis Joan. 15. 1. *Sine me nihil potestis facere*: posset autem aliquid facere, si posset sine gratiâ divinâ speciali se disponere per opera naturalia ad prædestinationem. Et Rom. 9. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed misentis est Dei*. Et Rom. 11. 5. *Reliquia secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt*: Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Et infra 35. *Quis prior dedit ei*. Et 1. Cor. 4. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Et 2. Cor. 3. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et ad Philipp. 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Et Jacob 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre hominum*. Et Osee 13. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Idem est Job 14. 4. Prov. 20. 9. Ephes. 2. 3. & sæpè alibi ex quibus patet, non esse naturæ hominis, aut virium naturalium quidquam facere, quo à reprobis discernatur, ac prædestinetur; ergo &c.

Probatum secundò ex D. Aug. lib. de prædest. sanctor. cap. 6. ibi: *Electio, ait, ista gratia est, non utiq. meritorum; superius enim dixerat (Rom. 11. 5.) Sic ergo & in hoc tempore reliquia per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, &c. gratia ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non præcivit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis pro nihilo enim salvos fecit eos: non autem pro nihilo, sed pro aliquo salvarentur, si ipsi per sua opera naturalia ad salutem disponenterent. Ex Concil. Araus. 2. can. 4. definiēte, nulla opera facta sine gratia conducere, & esse utilia ad gloriam; nimis autem conducerent, & essent utilia, si disponent ad prædestinationem; quod enim disponit ad formam maximè conducit, & est utile ad illam. Ex Concil. Trid. Sess. 6.*

Seff. 6. cap. 6. & 7. & can. 4. Disponuntur autem, inquit, ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia, & aduti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum; ergo si solum disponuntur, dum à gratia excitantur, cum ad opera naturalia non detur gratia excitans, per illa non disponuntur; consequenterque non sunt dispositiones ad justificationem, ac proinde neque ad prædestinationem.

54. Probatur tertio ratione, quia de ratione dispositionis, etiam remotæ, & indirectæ est, ut habeat aliquam connexionem cum forma, ad quam disponit, eamque aliquo modo, ut sibi debitam exigat; sed opera bona naturalia non habent talem connexionem cum prædestinatione, neque eam ut sibi debitam exigant; ergo &c. Probatur minor, quia si ita haberent, & exigerent, aut esset ex natura sua, & hoc non; siquidem prædestinatio, cum sit supernaturalis, superat omnem connexionem, & exigentiam naturæ: aut esset ex decreto, ac ordinatione divina, & hoc etiam non: tum quia non apparet tale decretum, neque ex Scriptura, neque ex Sanctis Patribus: tum etiam, quia si daretur, jam talia opera moverent Deum, ut causæ morales ad dandū præmium, quod supra negavimus; ergo talem connexionem, & exigentiam non habent; consequenterque non potuerunt esse dispositiones, neque remotæ, & indirectæ ad prædestinationem. Confirmatur, quia dispositio habet proportionem cum forma, ad quam disponit; siquidem ratione talis proportionis disponit subiectum reddendo illud proportionatum ad ipsam formam; sed nulla datur proportio inter opera naturalia, & prædestinationem supernaturalem; ergo &c.

55. Oppositum tenent Gabr. in 1. dist. 41. q. unica art. 3. dub. 1. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. citans Scot. Ockam Petr. de Aliato. Durand. in 2. dist. 28. q. 5. Caiet. tom. 1. Opuscul. tract. 4. q. 1. & 1. 2. q. 109. art. 6. vers. Neque obstat. Vega lib. 6. in Trid. cap. 17. ad 20. & lib. 13. cap. 25. Soto in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. & lib. 2. de natur. & grat. cap. 3. fine. Cano. in relatione de Penit. Richard. in 2. dist. 28. & idem videtur sentire D. Thom. in 2. dist. 28. art. 4. & dist. 5. q. 2. art. 1. licet P. Soar. hic lib. 2. cap. 6. n. 10. dicat cum Caiet. D. Thom. mutasse sententiam in 1. 2. q. 109. art. 6. pro quibus. Obijciunt. Dan. 4. dicitur: Peccata tua elemosynis redime. Ubi per elemosynam, quæ est opus bonum naturale, disponitur homo ad remissionem peccatorum, quæ est opus supernaturale, cum fiat per gratiam sanctificantem. Et 1. Tim. 1. 13. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Et Joan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri: quibus in locis significatur, prædestinatum se disposuisse ad gratiam, & misericordiam consequendam per opera liberi arbitrii; ergo &c. Respondeo hæc, & similia loca intelligenda esse, non de operibus purè naturalibus, sed aliquo modo supernaturalibus, utpotè factis ex fide, aut quovis alio motivo supernaturali. Ad illud D. Pauli specialiter dicendum, non intellexisse positivè, quasi ejus minus peccatum moverit Deum ad eum vocandum; sed tantum negativè, quatenus scilicet non commisit majus peccatum, quod si D. Paulus committeret, Deus eum non vocaret.

56. Obijciunt 2. Matth. 25. 15. dicitur, talenta fuisse distributa servis unicuique secundum propriam virtutem; sed hujusmodi talenta erant dona gratiæ, & gloriæ data prædestinatis; eorum autem virtus erant opera bona naturalia; ergo illi ad talia

dona se disposuerunt per vires naturales. Respondeo talia dona non esse auxilia gratiæ, quibus homo primò excitatur ad opera bona, sed gratiam habitualement, & justificationem, quam Deus concedit juxta hominis dispositionem, quæ dispositio ex auxilio gratiæ facta dicitur virtus hominis, non quia sit ejus virtus naturalis, sed quia est illius actus vitalis supernaturalis ab ipso homine vitaliter operante elicitus cum tali auxilio.

57. Obijciunt 3. Ex communi Theologorum axiomate (de quo suo in loco,) *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*, sive auxilium; sed in hoc significatur, hominem per bona opera naturalia se disponere ad gratiam supernaturalem, sive ad auxilium; siquidem in apponendis operibus bonis naturalibus facit quantum in se est, neque enim supernaturalia sunt in eo; ergo &c. Respondeo axioma illud multipliciter explicari: Primò, *Facienti, quod in se est* per auxilium supernaturale, & gratiam vocantem, Deus non denegat gratiam justificantem. Secundò *Facienti, quod in se est* per primum auxilium, Deus non denegat ulteriora auxilia; nam si homo acceptet vocationem ad fidem, Deus ulterius ei dat auxilia ad actus timoris, spei, & penitentiae, aliosque similes necesarios ad justificationem. Tertio cum aliquibus, *Facienti, quod in se est*, id est, non ponenti obicem per peccatum, sed avertenti mala contra legem naturalem, Deus non denegat gratiam, & auxilia tempore opportuno, non quod illa tribuat ex aliquo merito, aut dispositione naturali, sed omnino gratis, ac liberaliter juxta communem legem, qua decrevit illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum; siquidem illuminat, non solum justos, sed etiam peccatores, eos excitando ad penitentiam: ex quo non sequitur, posse hominem viribus naturæ diu vivere sine peccato, sed tantum, quod possit aliquando bene agere, per quod prout impediatur peccatum.

58. Obijciunt 4. Ut infundantur habitus supernaturales aliqua dispositio exigitur ex parte subiecti, ut per se notum est; sed hæc non potest esse aliquis actus supernaturalis; siquidem omnes actus supernaturales supponunt habitus supernaturales tanquam potentias, à quibus producantur; ergo est aliquis actus naturalis. Respondeo negando majorem; neque enim est universaliter vera; siquidem talis dispositio non requiritur in parvulis, quibus sine illa infunduntur per Baptismum habitus supernaturales; licet requiratur in adultis, ut definit Trid. talis tamen actus est supernaturalis elicitus per auxilium gratiæ, & concursum Dei actuali ante infusionem habitus supernaturalis, sicque non est solus actus bonus naturalis.

59. Obijciunt 5. Homo discurrendo naturaliter circa fidem facilius eam amplectitur per actum fidei supernaturalem; sicque qui præstantioris ingenii est facilius eam amplectitur; sicut qui est bene temperatus in complexione, & bona indole præditus, aptior est ad virtutem; ergo discursus ille naturalis, ingenium, bona complexio, & indoles sunt dispositiones ad fidem, & virtutes supernaturales. Respondeo negando consequentiam, si fides, & actus virtutum sumantur, ut sunt actus morales supernaturales, quia ut sic nullam habent cum illis proportionem, neque illos exigunt, ut aliquid sibi debitum: licet tamen sint veluti introductiones quædam, & remotiones prohibentium, si sumantur ut actus physici potentiae rationalis vitalis, cui potius in hoc inserviunt, quam ipsi actibus, cum respectu illorum habeant se, ut ipsa potentia, quæ non

non est propriè dispositio ad ipsos actus, licet eos producat.

60. Obijcies 6. Omne donum supernaturale exigit aliquam dispositionem ex parte subjecti; sed hæc non potest esse aliquid supernaturale; siquidem ante omne donum supernaturale non potest dari aliquid supernaturale; ergo est aliquis actus bonus naturalis. Respondeo negando majorem, si loquatur etiam de primâ vocatione: nam licet alia dona supernaturalia requirant in adultis eam dispositionem, cum illi potuerint eam habere eliciendo actus bonos supernaturales; non ita illam requirit prima vocatio, cum ante illam non detur aliquid supernaturale; aliter non esset prima, sicque Deus eam dat omnino gratis, & liberaliter, & sæpius peccatori existenti actualiter in peccato, sicut etiam illam sæpius negat homini justo existenti in gratiâ, idque sine illius injuria.

61. Obijcies 7. Angeli juxta majorem, aut minorem perfectionem naturæ acceperunt gratiam à Deo; ergo ipsa naturæ perfectio fuit dispositio ad illam. Respondeo negando antecedens: nam plures Angeli in natura perfectiores ceciderunt, & plures minus perfecti in natura steterunt in gratiâ, quod non ita esset, si acciperent à Deo gratiam secundum majorem perfectionem suæ naturæ; sicque illa gratiæ inæqualitas orta fuit ex beneplacito Dei; sive etiam à majori, vel minori dispositione per actus supernaturales, si fortè aliqua dispositio præcessit.

62. Obijcies 8. Gratia, & alia dona supernaturalia exigunt naturam, ut in illa sint; ergo etiam possunt exigere ut dispositionem actus naturales, ut à Deo tribuantur. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia dona illa, & gratia, cum sint accidentia, à naturâ suâ exigunt subjectum, neque enim possunt esse extra illud naturaliter; & cum non detur subjectum supernaturale, ideo à natura sua exigunt naturale elevatum: at verò, ut dentur à Deo non exigunt dispositionem à natura sua, cum ante illam dentur in parvulis, ideoque non exigunt actus naturales, ut dispositionem: quam si in adultis requirunt, est tantum ex quadam congruentia ex suppositione, quod illi possint habere actus supernaturales, & per illos se disponere, quæ congruentia non cernitur respectu actuum naturalium, neque ex natura rei, neque ex aliqua ordinatione divina, cum hæc non appareat, ut supra diximus, ideoque non est admittenda.

63. Difficultas 2. Utrum opera bona purè naturalia potuerint esse causa impetratoria prædestinationis? Advertes, quæstionem hanc posse in duplici sensu excitari. Primò secundum præsentem providentiam, quâ Deus decrevit non dare de facto donum aliquod supernaturale ex motivo purè naturali non elevato. Secundò juxta naturam rei, stando in alio genere providentiæ, quod dari poterat de lege absoluta. Hoc posito.

64. Dico 1. Prædestinatio in primo sensu non potuit impetrari per opera purè naturalia. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 91. cap. 6. n. 35. P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 19. n. 4. cap. 6. n. 40. P. Tanner. de prædest. d. 3. quæst. 4. dub. 5. n. 22. & alii. Probatur primò ex illo ad Rom. 8. 26. ibi: Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis, &c. ubi fundat impetrationem in oratione facta, sicut oportet, nempe secundum Spiritum Sanctum; sed oratio ita facta est aliquo modo elevata, & non purè naturalis; ergo &c. Secundò ex Concil. Arausico. 2. can. 6. ibi: Si quis sine gratia Dei petentibus, & querentibus nobis*

miserecordiam dicit conferrî, refellit Apostolo, &c. ergo si non confertur operi facto sine gratia, non confertur operi naturali, quod sine gratia fit; consequenterque hoc non est impetratorium doni supernaturalis, qualis est prædestinatio.

Probatur tertio rationibus: Prima, quia opera impetratoria nimis conducunt ad rem impetrandam; sed nullum opus naturale conducit ad prædestinationem, ut constat ex Scripturis supra citatis; ergo nullum est impetratorium illius. Secunda, quia prædestinatio ad gloriam, cum sit quid supernaturale, habet puram rationem gratiæ respectu naturæ; sed non sic haberet, si posset impetrari ab oratione naturali; siquidem jam tunc non daretur à Deo ex pura liberalitate, sed intuitu ipsius orationis naturalis; ergo &c.

Dices 1. D. Thom. asserit, Deum audire orationem peccatoris procedentem ex bono naturæ desiderio, si petat pro se salutem; ergo jam petitio naturalis est impetratoria doni supernaturalis. Respondeo D. Thom. non loqui de desiderio naturæ nudè sumpto, & prout excludit elevationem, & auxilium gratiæ, sed prout ipsam elevationem, & auxilium includit, in quo sensu dicit impetrare donum supernaturale.

Dices 2. Homo per petitionem merè naturalem potest impetrare à Deo primum auxilium gratiæ, quod adhuc maneat pura gratia; siquidem inter homines, quod datur postulanti, adhuc censetur pura gratia; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem datur diversa ratio, quia inter homines ordinariè loquendo, petitio non est obsequium, sed manifestatio quædam miseriæ, ut illâ cognita, alius remedium adhibeat, ideoque inter ipsos petitio nullam habet rationem meriti; consequenterque non minuit rationem gratiæ: at verò petitio nostra respectu Dei, qui omnia cognoscit, est vera oratio cedens in ejus cultum, & obsequium, & aliquo saltem modo meritoria; ac proinde ex illa, si esset naturalis, minueretur gratia.

Dices 3. Lacrymæ, & preces pauperum factæ ad homines divites non minuunt rationem gratiæ in eleemosynis faciendis; ergo neque factæ ad Deum. Respondeo supponi falsum, posse lacrymas, & preces merè naturales factas ad Deum conducere ad impetrandam rem supernaturalem; siquidem donum impetrandum continetur aliquo modo intra debitum, & exigentiam virtutis impetrantis: donum autem supernaturale est supra omne debitum, & exigentiam rei naturalis.

Dices 4. Oratio nostra merè naturalis potest Deo repræsentare nostram miseriæ, & ab eo impetrare divinam Misericordiam; ergo &c. Respondeo ita posse ex se repræsentare Deo, sed ut auctori naturæ, non autem ut auctori gratiæ supernaturalis; sicque poterit impetrare Misericordiam Divinam circa res naturales, non verò circa res supernaturales.

Dices 5. Actus merè naturalis potest impetrare actum supernaturalem; ergo etiam poterit impetrare aliquid supernaturale. Respondeo negando antecedens, ut alibi diximus in Philosophia rom. 1. d. 5. tr. 5. n. 79. nam eadem est ratio de actu impetrante, atque de actu impetrante, sive de impetratione.

Dico 2. Prædestinatio etiam in secundo sensu non poterit impetrari per opera merè naturalia. Ita *P. Soar. P. Vasq. & alii. Probatur, quia impetratio connectitur intrinsicè cum dono impetrando; sicut etiam meritum cum præmio; siquidem est*

veluti causa moralis illius inclinans donantem ad illud præstandum; omnis autem veluti causa moralis connectitur intrinsece cum suo effectu, vel quasi effectu, illumque exigit; sed nullum ens mere naturale potest ita connecti, neque exigere donum supernaturale, ut diximus; ergo neque actus naturalis, etiam de lege absoluta, poterit impetrare prædestinationem supernaturalem; siquidem providentia illa alterius ordinis non posset mutare essentialem improportionem rerum, quam inter se habent ab intrinseco, sicut non potest earum essentialitas mutare. Confirmatur, quia res supernaturales, qualis est prædestinatio, adhuc in illo diverso ordine essent essentialiter gratiæ, & indebitæ ipsi naturæ; sed ita non essent, si possent naturaliter impetrari; siquidem jam tunc non haberent puram rationem gratiæ, cum in aliquo sensu essent debite rei naturali; ergo &c.

72. Oppositum tenet P. Ripal. & alii: Pro quibus: Oppones 1. Miseria humana de facto movit Deum ad incarnandum; sed Incarnatio est aliquid supernaturale; ergo jam aliquid naturale potest Deum movere ad supernaturale; ergo etiam oratio naturalis poterit impetrare supernaturale. Resp. 1. argumentum, si probaret, etiam probare, factam fuisse de facto talem impetrationem, & de facto fuisse aliquid supernaturale concessum; siquidem de facto miseria humana movit Deum ad incarnandum; cum autem id de facto non probet, ut patet ex supra dictis, neque etiam probat in facta suppositione.

73. Respondeo secundò ad majorem, miseria humanam movisse Deum in ratione objecti terminativi, quatenus solum terminavit Divinam Misericordiam habendo se negativè; neque enim moveretur Deus ad incarnandum, nisi esset miseria humana: non tamen illum movit in ratione causæ moralis effectivæ, quia non movit causando positivè, aut impetrando per influxum moralem; sicq; ex illa non sequitur, posse aliquid naturale impetrare rem supernaturalem; siquidem tunc non haberet se solum negativè, ac terminativè, sed positivè; ex quo potius confirmatur, quam infirmatur nostra doctrina.

74. Oppones 2. Homo in puris naturalibus constitutus, si alloqueretur alium elevatum ad statum supernaturalem, posset ab eo impetrare, ut Deum flecteret oratione supernaturali; ergo sic poterit à Deo impetrare aliquid supernaturale. Respondeo negando antecedens, si sermo sit de impetratione propriâ, & positivâ, quæ in talem orationem supernaturalem influeret; neque enim petitio naturalis habet connexionem cum oratione supernaturali, qualis esset illa, ut supponimus: aliter tamen dicendum, si talis petitio se habeat per modum objecti terminativi tantum, quatenus terminaret voluntatem illam orandi ad Deum, quam ille alius homo elevatus non haberet, nisi ipsa petitio daretur, ut proximè diximus de Incarnatione respectu miseriæ humanæ.

75. Oppones 3. In eo distinguuntur impetratio, & meritum, quod illa non moveat secundum proportionem, quam oratio habeat cum re impetranda, sed secundum quam res impetranda habet cum liberalitate donantis: meritum verò moveat secundum proportionem, quam habet cum præmio: Et patet, quia meritum movet ex iustitia; impetratio verò ex misericordia; iustitia autem attendit ad æqualitatem meriti cum præmio; misericordia verò ad proportionem, quam ipsa habet cum dono tribuendo pauperi postulanti; sed Misericor-

Tom. I.

dia Divina habet maximam proportionem cum dono supernaturali impetrando; ergo licet illam non habeat oratio naturalis cum tali dono, poterit tamen per illam impetrari.

76. Respondeo negando majorem; oratio enim impetratoria movet secundum proportionem, quam habet cum Divina Misericordia, & cum re impetranda, & non solum secundum illam, quam Divina Misericordia habet cum ipsa re impetratâ: cum autem oratio naturalis, ut diximus, nullam habeat proportionem cum Divina Misericordia sumpta in ordine ad res supernaturales, qualis est prædestinatio, ideò hanc non potest impetrare ab ipsa Misericordia Divina.

77. Advertes, me non negare, Divinam Misericordiam moveri ad operandum secundum proportionem, quam in se habet cum dono tribuendo, in quo distinguitur à Iustitia, quæ movetur ad præmiandum juxta proportionem, quam meritum habet cum præmio; sed solum addere, in impetratione præter illam proportionem inter Misericordiam, & donum, requiri etiam illam aliam inter orationem, & ipsam Misericordiam, ac donum ab ipsa præstandum. Imò etiam Iustitia præter ipsam proportionem inter meritum, & præmium, fortasse requirit etiam aliam inter se ipsam, & meritum præmiandum.

78. Oppones 4. Causa efficiens naturalis potest elevari ad effectum supernaturalem; sed oratio impetratoria est causa efficiens moralis; ergo poterit elevari ad impetrandum donum supernaturale. Respondeo posse quidem elevari, si esset purè efficiens, ut in simili jam supra diximus: cum tamen sit etiam causa formalis formaliter disponens subiectum dando ei condignitatem, & proportionem quandam impetratoriam, & in genere causæ formalis non possit elevari; siquidem in hoc genere causæ non datur, neque dari potest elevatio, ut alibi diximus in Philosophia; ideò absolute negandum est, posse elevari ad impetrandum donum supernaturale.

SECTIO V.

Virum opera bona liberi arbitrii sint saltem conditio sine qua non ad prædestinationem: Et quid Sancti Patres senserint de initio prædestinationis ex operibus naturæ?

79. **D**IFFICULTAS 1. Utrum bona opera liberi arbitrii sint saltem conditio sine qua non daret Deus prædestinationem? Negativè. Ita D. Thom. hic q. 23. a 5. P. Vsq. i. p. d. 91. cap. 7. n. 40. P. Tanner. de Prædest. d. 3. q. 4. dub. 5. n. 21. & alii communiter. Probatur primò, quia si opera bona naturalia essent conditio sine qua non prædestinationis, hæc ab illis inciperet; consequenterque essent initium nostræ salutis; sed hoc est falsum, & contra definitionem Trid. cit. adversus Semipelagianos; ergo &c. Secundò, quia conditio sine qua non, ut communiter dicitur, est in eodem ordine cum forma, ad quam disponit, & cuius est conditio; sed ita non sunt opera naturalia cum prædestinatione supernaturali; ergo &c. Tertiò, quia Deus vidit etiam in reprobis multa opera bona naturalia,

M m

&c

& forte excellentiora, quam in electis; & tamen hæc in illis non fuerunt conditio ad prædestinationem; ergo neque in electis.

80. Dices pro aliquibus apud *P. Valsq. cit. num. 39.* Prædestinatus non potest habere opera meritoria gloriæ sine cooperatione liberi arbitrii; ergo neque potuit prædestinari ad illam; consequenterque talis cooperatio, & consensus voluntatis creatæ fuerunt conditio sine qua non ad prædestinationem. Respondeo ex antecedente solum sequi, cooperationem illam, & consensum voluntatis fuisse effectum infallibilem, seu infallibiliter necessarium ad executionem ipsius prædestinationis, non tamen fuisse conditionem sine qua non respectu illius propriè loquendo. Patet, quia si talis esset, deberet necessariò, & per se præquiri ad talem prædestinationem; sed non ita fuit prærequisita; siquidem potuit esse prædestinatio, quin prævideretur ulla cooperatio absolutè antecedens; ergo &c. Undè si aliqua ita fuit prævisa, id fuit per accidens respectu prædestinationis. Advertes me loqui de aliquibus operibus bonis naturalibus; nam actus boni supernaturales omnes sunt post prædestinationem seu electionem ad gloriam, ut illius effectus.

81. Difficultas 2. Utrum Patres, præsertim Græci posuerint initium gratiæ, & prædestinationis in operibus naturalibus? Quoniam liberi arbitrii hostes, quales sunt hujus temporis heretici cum suo Calvino, magnum sui erroris præsidium collocant in accusandis Græcis, ac præsertim D. Chrysostomo, quod in extollendo libero arbitrio modum exceßerint, eique initium gratiæ, ac prædestinationis adscripserint, ut eorum testimonia taxantes, non habeant adversus se antiquiores, nobiliores, ac locupletiores testes libertatis, quam hæretici ipsi de medio tollunt, totum salutis nostræ negotium gratiæ divinæ adscribendo, opere prærium duxi hos, quos ipsi accusant Patres ab ipsorum calumnia liberare, quod facere tenemur pluribus rationibus.

82. Prima, quia non solummodò istorum Patrum, sed totius etiam Ecclesiæ rem agimus, quatenus non tam eorundem auctoritatem, quam etiam Recentiorum, maxime D. Augustini, ac Romanorum Pontificum suscipimus defendendam. Secunda, quia non solum Cassiano, ejusque discipulis Massiliensibus eripimus, quos violenter rapiunt in duces sui erroris, sed etiam catholico dogmati testes, & patronos restituimus & numero, & antiquitate, & pondere majores. Tertia, quia sic etiam cum catholicis disputantes de indifferentia libertatis plura, & firmissima antiquitatis testimonia conservamus. Quarta, quia generali præcepto tenemur orthodoxè, ac sanè interpretare, quoad fieri possit, verba cujusque Doctoris, qui pietate, ac doctrinâ claruerit; quæ charitatis, & justitiæ lex tantò magis urget, quantò major est numerus, antiquitas, & auctoritas eorum Patrum, de quibus agitur in præsentis. Sit igitur.

83. Conclusio 1. Ecclesiæ Patres, qui D. Augustinum præcesserunt, idem quod D. Augustinus, de initio gratiæ, & causâ prædestinationis non sumenda ex viribus naturæ, docuerunt, ita ut contrarium asserere sit temerarium, & periculosum. Probatur primò, quia doctrina D. August. quam D. Prosper. & D. Hilar. defendebant contra Massiliensium errores, dicitur à Cœlestino antiqua, & horum errorem dicit novitatem, ut patet Epist. 1. ad Episcopos Gallia cap. 2. ibi: *Non sit illis liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res*

sunt, incesse novitas veritatem; ergo si antiqua, illam tenuerunt antiqui Patres.

Probatur secundò auctoritate Concil. Araus. sub Leone I. cap. 1. ubi dicit, hanc doctrinam fuisse Antiquorum Patrum, ibi: *Pauca capitula ab apostolica sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causâ collata sunt, &c.* Et idem cap. 25. fine. Confirmatur auctoritate D. Aug. qui lib. 2. de bono persever. cap. 17. & sequentibus probat, suam sententiam de initio gratiæ, & prædestinationis esse omnium fidelium, & antiquorum Patrum. Et Epist. 106. ad Bonifacium, eandem doctrinam recitans ex Concil. Palæstino adjungit: *Hæc semper tenuit Catholica Ecclesia; sed non ita hæc essent vera, si verum non esset, quod Sancti Patres hanc habuissent sententiam; ergo &c.*

Probatur tertio, quia si antiquiores Patres docuissent, quod Cassianus, Massilienses, & Faustus docuerunt de causâ prædestinationis sumenda ex viribus naturæ, horum opinio fuisset tutior, magis probanda maturioribus ingeniis, & catholica antiquitatis sectatoribus; iniquæque fuissent Pontificum, & aliorum Patrum adversus illos increpationes, quibus arrogantia, ingrati tudinis, ac novitatis notantur, cum potius fuissent commendandi ob prudentiam, antiquitatem, studium, & modestiam, quæ proprium judicium antiquitati submittebant, & è contrario D. Aug. & illius sectatores fuissent vituperandi; sed hæc non sunt dicenda; ergo &c.

Probatur quarto, quia si Patres antiquiores ita circa justificationis initium, & prædestinationis causam ex operibus naturæ errassent, sequeretur totam, aut ferè totam Ecclesiam errasse; siquidem cum primarii Theologiæ Magistri errarent, necessariò alii supparet, & inferiores fidei prædicatores errassent in eodem articulo, summeque errorem in fidelium plebem instillassent; & cum tot & numero, & doctrinâ, & auctoritate, & sanctitate fideles præcessissent usque ad D. Augustini tempus, omnes in eo errore fuissent; sed hoc non est dicendum; alioqui videretur, Deum promissæ erga suam Ecclesiam providentiæ defecere, permittens ut maxima pars Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ erraret, quod est impossibile; ergo &c.

Conclusio 2. D. Chrysostomus veritatem catholicam directè pugnantem cum Semipelagianorum errore tenuit, & docuit. Probatur, quia D. Augustinus, & cum eo Doctores catholici, probant, initium justificationis, & prædestinationis causam non esse ex operibus naturæ, sed gratiæ, ex pluribus capitibus: Primò ex eo, quod initium justificationis sit semen cōceptum, & partum timoris à divina gratia; Secundò, quod Deus aliquid prius operetur in nobis sine nobis: Tertiò, quod gratia non reddatur præcedentibus meritis: Quarto, quod vocatio à Deo, & non à nostro arbitrio, atque humanis conatibus incipiat: Quintò, quod gratia Dei præveniat nostros conatus: Sextò, quod Deus in nobis operetur nostra bona opera, & agamus nos ad illa: Septimò, quod fides non solis naturæ viribus, sed & divinæ gratiæ auxilio, & inspiratione indigeat: Octavò, quod fides, & opera non sint causa prædestinationis ad illa; imò prædestinatio sit causa fidei, & bonorum operum: Nondò, quod nullus possit tentationibus etiam ordinariis resistere sine gratiæ auxilio: Decimò, quod nobis nihil, sed Deo totum sit tribuendum; sed hæc omnia tenuit, & docuit D. Chrysostomus, ut

ut statim videbimus, variis in locis; ergo tenuit, & docuit catholicam veritatem Semipelagianis repugnantem.

83. Probatur minor quoad omnia assignata capita, nam primum habet 2. Cor. 1. Hom. 3. ibi: Si initia, & fundamentum dedit, si radicem, & fontem veluti veram de ipso cognitionem, Spiritus communionem: qui convenit, ut qua ex his nascuntur, daturus non sit? Et infra: Non enim, ait, nisi totum daturus erat, voluisset arrhabonem exhibere, & perdere. Et Hom. 22. in Gen. ibi: Quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, idem & peccantibus supplicia propolita sunt, & bene operantibus retributiones. Ubi notanda sunt verba: post gratiam Dei: in quibus priores partes concedit gratia. Idem habet Hom. 14. ad Popul. Antiochen. & Hom. 4. ad Ephes. 2.

89. Secundum habet Hom. 34. in Matt. ibi: Ipse, ait, Apostolos oves mansuetudine fecit; id enim significatur, cum dicitur: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum: ubi præsupponitur aliquid, quod Deus fecit, in quo nihil homines à se ipsis conferunt. Et Matth. 10. Ut aliquid, inquit, etiam à se ipsis conferant, neque omnia videantur esse à gratia, nec frustra, & aliena solum virtute coronari aestimetur, adiecit: Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c. ubi aliud esse significat, in quo homines aliquid à se ipsis conferunt, neque tamen sine gratia.

90. Tertium docet Hom. 12. in Joan. Gratia Dei, inquit, semper in beneficiis priores sibi partes vendicat. Non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem. Et Hom. 71. in Joan. ad illa verba: Sicut ego dilexi vos. Non enim, inquit, vestris præcedentibus meritis debitum persolvi; sed ego incepi.

91. Quartum docet hom. 2. in 2. Tim. 1. ad illa verba: Vocavit nos vocatione sua sancta, &c. Quomodo, inquit, vocatus es vocatione sancta, hoc est, sanctos effecit, qui peccatores eramus, & inimici, & hoc non ex nobis, sed ex divino munere est. Si igitur ille, & potens est vocando, & bonus, idque, per gratiam, non ex debito faciendo, nihil est, cur metumamus: qui enim nos, cum perdidit, inimici, essent, salvos per gratiam fecit; multo magis cum operantes viderit, cooperator accedit. Idem habet 1. Cor. 1. hom. 2. & 4.

92. Quintum docet non solum in locis jam citatis, ut patet, sed etiam Hom. 38. in Gen. ibi: Ut scias, ait, quod Deus non solum benefacere vult, & dona sua dare, sed solitus sit, sua beneficia accepturos facere clariores, vide quomodo hoc & in Chanana illa faciat. Et infra: Neque responso dignatur eam misericors, & clementissimus Dominus, alioqui preces nostras semper preveniens. Idem habet Hom. 28. in Gen. 9. ubi cum proposuisset plurima impedimenta, ne mundus Apostolorum prædicationi crederet, adjungit: Præviā gratiā subtulit hac omnia. Idem 2. Cor. 8. Hom. 18. & Hom. 2. in psal. 50.

93. Sextum docet Hom. 8. ad Philip. 2. ad illud: Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere: ubi Propensionem, inquit, voluntatis ipse nobis præbet, & operationem. Et subdit: Deus vult, nos secundum voluntatem suam vivere; si vero vult, agit nos ad hoc: ipse istud omnino operabitur. Ponderandum est, operationem Deum in nobis operari, & ad bene operandum nos agere, & hanc esse gratiam prævenientem, excitantem, sive operantem, quam Catholici cum D. Aug. Semipelagianis opponunt.

94. Septimum docet Hom. 44. in Joan. ibi ad illa verba: Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit. Cum enim Pater, inquit, aliquem dirigit, nihil prohibet illum ad me venire. Ubi directio Patris debet

Tom. 1.

præcedere potestatem veniendi per fidem ad Christum. Et infra ad illa verba: Beatus es Simon Barjona, &c. Quod significat, ait, non parvam rem esse fidem, sed superno indigere auxilio. Idem habet hom. 75. in Joan. & hom. 4. ad Ephes. 2. & hom. 4. ad Philipp. 1.

Octavum tenet Hom. 2. ad Ephes. 1. Deus, inquit, prædestinavit ad hoc ut credam. Et infra. Credidimus, principium hoc est, ita & ipse arrhabonem dedit. Et hom. 2. in psal. 50. Si Deus dixerit adultero: Jam nolo, ut adulter sis, verba statim vertuntur in opera. Et hom. 9. de Laudib. Paul. Videmus complures ad defensionem suam ignavia.... respondere quasi cunctabundos, & resistentes: Si Deus volet, persuadebit mihi, & convertar. Quos non arguo, sed valde probo, quod ad Voluntatem Dei confugiunt: vellem autem nos etiam nostra asserere, & tunc dicere: Si Deus voluerit.

Nonum habet 1. Cor. 10. hom. 24. ad illa verba: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. Et quidnam hoc significat? inquit, Neque enim mediocres ileas, quod dixi, propria virtute sufferemus, sed hic quoque divino indigemus auxilio, ut eas vel effugiamus, vel certe perferamus, si evitare non detur. Ipse namque & patientiam dat, & celeritatem mutationis inducit, ut in hac parte tolerabilis fiat tentatio. Hoc autem significavit, cum dixit: Faciet eventum, ut possitis sustinere, & omnia ei tribuit.

Decimum docet 1. Cor. 4. hom. 12. dicens: Igitur quod accepisti, habes, neque hoc tantum, aut illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua hæc sunt, sed Dei gratia: Et infra: Propterea cohibearis oportet; non enim tuum id munus est, sed largientis: Nam si accepisti, ab illo accepisti; si ab illo, non tuum accepisti, si non tuum, quid insolens, ac si tuum haberes? Idem habet 1. Cor. 3. hom. 8. Et 2. Cor. 9. hom. 20. & 2. ad Thessal. 3. hom. 5. & hom. 38. ad Popul. Ex quibus omnibus locis satis constat D. Chrysostomum veram, ac catholicam doctrinam cum D. Aug. tenere, & Semipelagianis contrariam.

Dicent 1. easdem propositiones, quas D. Chrysost. concedit, etiam à quibusdam Massiliensibus concedi, qui tamen constituunt aliquid justificationis initium ex viribus naturæ. Sed contra primo, quia apud omnes certum est, propositiones illas, bene intellectas, contrarias esse errori Massiliensium, quas si malè intelligebant Massilienses contrariis asserentes, non idem existimandum est de D. Chrysostomo. Secundo, quia nihil amplius asseruerunt D. Cyprian. D. Amb. & D. Nazianz. & tamen D. Aug. testimonio D. Cypriani incitatus discessit ab errore, quem antea docuerat, & eorumdem testimoniiis confutat errorem, ut constat lib. 1. de prædest. Sanctor. cap. 3. & 14. & lib. 2. de bono persever. cap. 19. & lib. de natur. & grat. cap. 43. sequentibus.

Dicent 2. D. Chrysostomus pluribus in locis docuit, nostras voluntates à Deo non præveniri, sed Deum subsequi justificationis initium à nobis datum; ergo &c. Probatur antecedens ex hom. 27. in Joan. 1. 38. ad illa verba: Conversus autem JESUS: Hinc, ait, admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse: sed cum nos prompto, paratog. animo, ad suscipiendam gratiam, exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones. Et hom. 12. ad Hebr. in Moral. ibi: Oportet nos eligere primum, quæ bona sunt, & tunc Deus, quæ sua sunt introducit, non antecedit nostras voluntates, ne ledatur arbitrium. Idem habet hom. 42. in Gen. & hom. de Conyess. Paul. & lib. 1. de

Mm 2

com.

compunct. cordis, & hom. 19. in Acta Apostol. & 2. Cor. hom. 2. & hom. 9. in Gen.

100. Respondeo 1. cum P. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 8. n. 11. & P. Ruiz de Prædest. tr. 3. d. 27. sect. 5. n. 4. eadem reperiri apud D. Hieron. epist. 147. ad Damas. & D. Damascen. lib. 2. de fide cap. 29. & 30. & lib. 4. cap. 22. ubi dicit Deum non prædefinire, seu prædestinare eas, quæ sunt in nobis: & tamen non existimamus, eos aliquid Semipelagianum sensitisse. Secundò, D. Chrysost. ut patet ex locis supra citatis, rectè de gratia præveniente sensitisse: præsertim hom. 2. in psal. 50. & hom. 23. in Gen. & hom. 44. in Joan. Generosi cuiusdam animi est, inquit, inspirationes divinas non abjicere: quod superno auxilio fieri declarat. Tertio, illas D. Chrysost. locutiones intelligendas, Deum non prævenire nostras voluntates, eas ad unum determinando, aut physicè prædeterminando, ut ait P. Soar. cit.

101. Dicent 3. D. Chrysostomus asseruit, Deum expectare, ut nos incipiamus, ut ipse perfectionem adjungat, ut videtur est hom. 2. in psal. 50. hom. 9. in Gen. hom. 19. in Acta. & hom. 42. in Gen. de quibus supra n. 99. ergo sensit in nobis esse initium justificationis. Respondeo easdem locutiones inveniri apud D. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 7. ibi: Tale te præbe bonis studiis, & prompta fide, ut Deus vocet te. D. Nazian. D. Hilar. D. Hieron. dialog. 3. contra Pelagian. Nostrum sit, inquit, rogare, nostrum incipere, illius perficere; & tamen hi Patres non senserunt cum Pelagianis, neque Semipelagianis; siquæ omnes solum docere intenderunt, gratiam non sanctificare, neque disponere hominem ad ultimum absque ejus libera cooperatione, quam vocant initium ex parte hominis, quatenus in eo inchoat primam moralem dispositionem bonam; quo sensu Concil. Araus. can. 5. vocavit voluntatem credendi initium fidei, & salutis. Ita P. Soar. de prædest. lib. 2. cap. 8. n. 13.

102. Dicent 4. D. Chrysostomus hom. 42. in Gen. dicit de Abrahamo: Qui ante gratia tempus, & ante legem fuit, à se ipso, & scientia naturæ instruitur in tantum pervenit virtutis fastigium. Et hom. 3. in 1. Cor. dicit; Aliquos Philosophos per lumen rationis, non solum præcepta servasse, sed etiam aliquando superasse; in quibus locis plus videtur tribuere rationi naturali, ejusque operibus, quam expediat; ergo &c. Respondeo etiam D. Paulum dixisse Rom. 2. Factores legis justificabuntur; cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Et D. Hieron. ad Galat. 1. Naturæ, ait, omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, nec sine semine sapientia, & justitia. Et D. Nazian. orat. 19. in laudem patris, cujus mortui virtutes morales laudaverat: Pro his rebus, ait, fidem quoque ni fallor, præmii loco retulit; & tamen neque de D. Paulo, neque de Hieron. neque de Nazianz. dicendum à sensu catholico discedere. Unde sicut D. Paulus ab Aug. exponitur de natura absque lege scripta, non tamen sine interiori gratiâ interioris in cordibus scriptæ: & D. Hier. ac Nazian. loquuntur de virtutibus elicitis ex aliqua supernaturali complacentia, & propensione ad fidem; ita explicandus est D. Chrysost. in locutione illa de Abrahamo. Ita P. Ruiz cit. sect. 5. n. 15. Ad illud de Philosophis dicendum D. Chrysost. ibi agere, non de omnibus virtutibus collectivè, sed de una, aut altera, quia aliqua etiam bona faciebant, non tamen quoad perfectè cohibenda inordinata desideria cordis spontaneo virtutis amore, sed tantum

quoad externam operis executionem, ad quam aut inani gloria, aut spe alicujus temporalis commodi, aut alicujus pænæ timore ducebantur, ut colligitur ex eodem D. Chrysostomo hom. 8. in 1. Cor. 3.

Dicent 5. D. Chrysostomus videtur eandem causam electionis ad gloriam reddere, quam Massilienses, quatenus dicit, Deum prævidere aliquos benè operaturos, alios verò malè, ut constat hom. 31. in Matth. & hom. 96. etiam in Matth. & lib. 1. de compunct. cordis, disputans enim de vocatione D. Pauli, & Matthæi hom. illa 31. in Mat. dicit, Tunc fuisse à Deo vocatos, quando sciebat, illos esse obtemperaturos; ergo &c. Respondeo hanc D. Chrysostomi præscientiam esse longè diversam à præscientia Massiliensium; hi enim loquebantur de operibus eliciendis per solas vires naturæ: at verò D. Chrysost. de operibus eliciendis virtute auxilii supernaturalis; siquidem agebat de operibus, quæ à Deo præsciuntur, fore meritoria gloriæ de condigno, qualia non sunt opera solis viribus naturæ elicita, foret enim hæresis Pelagiana, à qua longè aberat D. Chrysostomus. Ita P. Ruiz cit. num. 21.

Dicent 6. D. Chrysostomus concedit, Deum exigere ab homine aliquas dispositiones ad gratiam, nempe penitentiam, dilectionem, & spem, quæ tamen ex se non sufficiunt ad tollendum peccatum, nisi accedat gratia, illà verò accedente, remitti peccatum, ut docet hom. 17. & 42. in Gen. & hom. 2. in psal. 50. & hom. 12. ad Hebr. ergo videtur requirere penitentiam ex solo libero arbitrio elicita, quæ à Deo impetret remissionem peccati. Respondeo D. Chrysost. loqui de penitentia elicita ex auxilio supernaturali, quæ est sufficiens ad remissionem peccati; qualis fuit penitentia Davidis dicentis: Peccavi Domino: & Latronis orantis: Domine memento mei: quibus exemplis confirmat suam sententiam. Unde solum voluit dicere, hanc penitentiam, licet supernaturalem, per se non justificare hominem formaliter, nisi accedat nova misericordia, & gratia Dei remittentis peccatum, & infundentis justitiam. Ita P. Soar. cit. n. 18.

Dicent 7. Cassianus fuit D. Chrysostomi discipulus, suamque sententiam, quam cum Semipelagianis habet communem, quasi à suo Præceptore acceptam tradit; ergo ejusdem sententiæ fuit D. Chrysostomus. Respondeo Cassianum, sicut Scripturam, ita etiam D. Chrysostomi mentem non fuisse assecutum.

Dicent 8. Cassianus, Faustus, aliique Semipelagiani, easdem, quas D. Chrysostomus, locutiones usurpant; ergo D. Chrysostomus eandem, quam illi, sententiam tenuit. Respondeo easdem quidem aliquando usurpare locutiones, sed non solum illas; siquidem alias adjungunt, quibus earum sensum detorqueant ad Semipelagianismum.

Conclusio 3. Omnes alii Patres tum Græci, tum Latini circa justificationis initium, & prædestinationis causam cum D. Chrysostomo, & D. Augustino concordant. Horum tamen sententias non transcribam, sed loca videnda, si Lector videre velit, apponam. Igitur sic tenuit D. Cyprian. lib. de exhortatione ad Martyrium, cap. 10. fine, & lib. 1. de opere, & elemosyna, fine. & lib. 4. Epist. epist. 7. D. Ambros. lib. de fuga seculi, cap. 1. & lib. 7. in Lucam, cap. 12. & lib. 6. in Lucam, cap. 21. & lib. de Jacob. lib. 1. cap. 6. & sæpè alibi. D. Hieron. cujus sanam doctrinam de gratia & liber. arbitrio, contra Ruffinum approbat Ecclesia in cap. Sancta Romana, dist. 15. hanc etiam sententiam docet in Jerem. 9. prope

prope finem. & lib. 3. adversus Pelagianos prope medium. Et Isaie 49. ad initium, & ad Galat. 5. & ad Ephes. 1. & sæpe alibi. D. Lactant. lib. 7. divinar. Instruit. cap. 5. D. Petr. Chrysol. serm. 97. & 108. & 136. & 152. D. Hilar. D. Paulin. ep. 2. ad Severum, & epist. 4. D. Leo Magn. D. Prosper. D. Isidor. Hugo. Victor. Arnobius. D. Laurent. Justinian. lib. de contempt. mundi, cap. 8. lib. de obedient. cap. 15. init. & lib. de humilit. cap. 1. 7. & 12. D. Nazian. orat. 31. in Matt. 19. D. Athan. epist. ad Serapionem, & orat. 1. contra Arianos, & serm. 3. contr. Arianos. D. Greg. Nyssenus lib. de Beatitud. tit. 5. in 5. Beatitud. & in Cant. orat. 5. in princip. & de Orat. Dominica. D. Basil. hom. 22. de humilit. Et in constit. monasticis cap. 16. & 17. D. Cyrill. Alexandr. in Joan. lib. 10. cap. 24. & lib. 4. cap. 5. & lib. 3. cap. 39. D. Damasc. lib. 2. de fide cap. 30. & lib. 4. cap. 23. Clem. Roman. epist. 1. ad Jacobum, D. Dionys. Areopag. lib. de divin. nominib. cap. 2. 3. 4. & 11. D. Ignat. epist. 1. ad Mariam Cassobolus. D. Justin. in dialog. cum Tryphone. Clem. Alexand. lib. de Pedagogo, & lib. 7. Stromat. & lib. 4. & 5. Stromat. D. Ephrem. serm. 1. de compunct. cordis. Theodoret. ad Ephes. 2. ad Philipp. 1. Rom. 8. & 1. Cor. 7. Theophylact. in Marc. 10. & in prolog. ad Evang. Matr. Euthym. in Psalm. 20. & alii de quibus pro sententia catholica mentionem facit D. Aug. variis in locis. in lib. de bono persever. de prædestinat. Sanctor. de natur. & grat. in Epistola, aliisque locis. Quid autem senserit D. Thom. de dispositione ad gratiam ex libero arbitrio, dicemus suo loco. Vide interim P. Herice tract. 3. d. 26. cap. 3. per totum.

SECTIO VI.

Virum aliquis homo purus potuerit esse causa prædestinationis alterius?



ADVERTES primò hujusmodi quæstionem multipliciter excitari: Primò: Utrum de facto aliquis homo justus fuerit prædestinatus propter merita alterius? Secundò: An potuerit justus de lege ordinaria mereri de condigno, aut de congruo prædestinatione alterius? Tertiò: An saltem ita potuerit de potentia absoluta? Advertes secundò, quæstionem procedere de justo puro homine, nam de Christo Domino infra dicemus: deinde procedere de prædestinatione totali, aut partiali; & quoad primam electionem, & quoad executionem. His positis.

Assertio 1. Nullus purus homo justus de facto meruit electionem alterius ad gloriam. Ita D. Thom. 1. p. q. 23. a. 8. Durand. in 1. dist. 41. q. 3. num. 4. D. Gregor. lib. 1. dialog. cap. 8. D. Aug. lib. de bono persever. cap. 22. D. Prosper lib. 2. de Vocat. gent. cap. ult. quos citat, & sequitur P. Saur. lib. 2. de prædest. cap. 24. num. 2. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 2. n. 13. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 2. num. 24. P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 5. n. 50. P. Ruiz de prædest. d. 58. sect. 2. n. 3. P. Martinon. d. 21. sect. 3. n. 27. Lesana tr. 4. d. 11. q. 5. & alii communiter. Probatur primò, quia ut unus justus de facto mereretur alteri ejus electionem ad gloriam, debebant illius merita prevederi absolute futura ante talem electionem; siquidem omnis causa effectiva, etiam moralis, præsupponitur existens ad suos effectus, ut sæpe diximus; sed non ita fuerunt præ-

visa; siquidem de facto omnes prædestinati fuerunt simul electi in eodem signo ante omnia eorum merita absolute prævisa, ut supra diximus; ergo nullus de facto meruit alterius electionem. Confirmatur in D. Stephano respectu D. Pauli, nam si D. Paulus fuit simul in eodem signo electus cum D. Stephano ante ejus merita absolute prævisa, quomodo hujus merita, quæ non dum erant prævisa absolute, potuerunt esse causa meritoria electionis D. Pauli, ut dicunt? ergo &c.

Probatur secundò, quia hujusmodi privilegium, nempe quod unus justus sit causa meritoria electionis alterius non debet alicui puro homini concedi sine fundamento in Scriptura, aut Sanctis Patribus; sed hoc non ita datur, imò contrarium, quatenus id specialiter soli Christo Domino conceditur ut Primogenito inter fratres, & capiti totius Ecclesiæ, ut patet ex illo ad Ephes. 1. 3. Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo: Et infra 4. Elegit nos in ipso, ut effemus Sancti; ergo nulli alteri concedi debet.

Probatur tertio, quia Deus in primo signo post originale prævisum, prævisis meritis Christi Domini ante merita aliorum hominum, & præsertim prævisâ oratione, quâ Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis ipsa merita efficaciter offerebat pro prædestinatis, habuit sufficientem causam ad illos omnes eligendos; ergo necessarium nõ fuit adhibere merita alicujus puri hominis, quæ iuvarent merita Christi Domini in ratione causæ ad aliquem alium eligendum. Confirmatur, quia electio efficax ad gloriam, ut diximus, est opus Misericordiæ, omnino gratiosum, & liberum; sed non ita esset, si daretur causa aliqua meritoria ex parte alicujus puri hominis; ergo &c.

Oppositum tenent P. Vasq. 1. p. d. 94. cap. 5. n. 41. P. Arrub. d. 79. cap. 2. n. 3. P. Less. de prædest. sect. 2. P. Salazar. tract. de Conceptione, cap. 21. & cap. 8. Prov. vers. 19. quos citat & sequitur P. Alarcón. tract. 4. de prædest. d. 3. cap. 6. n. 1. P. Compton. tom. 1. d. 43. sect. 1. n. 7. quatenus dicunt, Virginem Sanctissimam de facto meruisse de congruo prædestinationem omnium hominum; D. Stephanum electionem D. Pauli, sicque de aliis: Pro quibus: Obijcies 1. Virgo Sanctissima fuit Redemptrix totius generis humani; sicut enim Pater dedit Filio omnem potestatem distribuendi hominibus omnia auxilia congrua, propter quam ille eis meruit prædestinationem; ita etiam Filius dedit Matri illam constituendo Dominam totius Ecclesiæ; ergo illa nobis meruit omne auxilium congruum usque ad perseverantiam finalem, præparationem, seu electionem ab æterno factam; consequenterque prædestinationem. Respondeo Virginem Sanctissimam fuisse Redemptricem in sensu minus proprio, prout supra diximus d. 2. a. n. 616. ubi latius probavimus, Virginem Sanctissimam fuisse electam in eodem signo cum aliis prædestinatis, ex quo satis colligitur non potuisse eis mereri primam electionem; licet postea potuerit mereri, ut in executione assumerentur auxilia congrua.

Obijcies 2. Ex D. Aug. de bono persever. cap. 22. constat nostras orationes fuisse aliquibus prædestinatis causam meritoriam electionis ad gloriam, quod confirmat dicens de D. Stephano serm. 1. de S. Stephano: Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Ex quo fit, quod sicut, orante Stephano pro omnibus lapidantibus, Deus elegit unum Paulum, ita orante aliquo justo pro salute alieus integræ nationis, potuerit Deus aliquos tantum ex illa eligere ad salutem; ergo &c.

M m 3

Resp.

114. Respondeo cum P. Herice cit. D. Aug. loqui, non de prima electione facta ante omnia merita absolute praevisa, sed de ejus executione, sive de praedestinatione quoad aliquos tantum effectus: certum enim est, Deum tribuere de facto aliquibus praedestinatiis plures vocationes congruas propter aliorum orationes, ut patet in D. Paulo, & D. Stephano; idemque potuit accidere in aliquibus praedestinatiis alicujus nationis propter orationem alterius postulantis pro tota natione; siquidem potuit Deus, si vellet, post eorum electionem ad gloriam, hujus orationes eligere ut media ad eos vocandos congruae, ut illi prout sic ipsam gloriam assequerentur; quod totum fatetur D. Paulus dicens: *Elegit nos in ipso* (id est in Christo) *ante mundi constitutionem*: in Christo dixit, non in Stephano.

115. Assertio 2. Unus homo purus justus potuit de potentia absoluta mereri alteris de congruo suam primam electionem ad gloriam. Ita P. Herice tract. 3. d. 29. cap. 5. num. 53. P. Arriaga de praedest. d. 37. sect. 2. num. 21, & à fortiori Doctores citati n. 112. qui id affirmant de facto. Probatur primò, quia Deus statim post electionem Christi Domini; potuit de potentia absoluta ex ejus meritis unum tantum hominem eligere ad gloriam, aliis omisiss; nulla enim in hoc apparet repugnantia; & postea ex meritis hujus puri hominis praedestinati alios etiam eligere in secundo signo de congruo, quod etiam non implicat; sed in hoc eventu ille primus electus mereretur aliis de congruo suam primam electionem ad gloriam; ergo &c.

116. Probatur 2. quia Deus de potentia absoluta potuit tribuere uni homini auxiliū congruum ab bene operandum ex affectu salutis illius, aut ex aliquo alio fine, quin attenderet ad salutem alterius, v. g. potuit dare auxiliū congruum D. Stephano ad orandum pro inimicis, quin attenderet ad salutem D. Pauli; Deinde ex ipsis bonis operibus potuit moveri ad alium eligendum, nempe ex oratione D. Stephani ad eligendum D. Paulum; sed tunc ex operibus unius hominis puri alium eligeret; ergo jam purus homo de potentia absoluta potuit alteri mereri de congruo suam primam electionem. Dixi de congruo, quia hic non disputo: An id possit de condigno? de hac enim quaestione in materia de Merito, ubi multi communiter affirmant.

117. Argues 1. Si hoc esset possibile, sequeretur, potuisse Deum etiam de potentia absoluta dare D. Paulo auxiliū congruum ad bene operandum, quin esset ex intentione gloriae illius, sed ex aliquo alio fine, & ex tali operatione jam praevisa illum eligere ad gloriam; consequenterque D. Paulum potuisse esse causam meritoriam suae primae electionis ad gloriam; sed hoc non videtur admittendum; ergo &c. Respondeo cum P. Herice cit. n. 22. negando minorem: neque enim in hoc aliqua apparet manifesta repugnantia.

118. Inferes: Ergo Adamus per opera facta in statu innocentiae ante peccatum fuit de facto causa meritoria suae primae electionis ad gloriam facta post praevisum illius peccatum. Respondeo primò negando illationem: tale enim meritum non debet admitti sine acceptatione, & ordinatione divina, de quibus tamen non constat de facto. Respondeo secundò negando etiam illationem, nam talia opera, cum fuerint per peccatum mortificata, non potuerunt esse causa electionis efficacia; at verò in nostro casu supponimus, opera esse vivificata per gratiam; aut saltem non mortificata per culpam; sicque possunt esse causa meritoria electionis.

Urgebis: Contritio facta à peccatore meretur de congruo primam gratiam sanctificantem, & de condigno primam gloriam; ergo à fortiori illa opera Adami facta in gratia potuerunt mereri de congruo ipsam gloriam, licet ipse jam esset in peccato. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia contritio illa, cum sit facta post peccatum, formaliter, aut virtute illud retractat, sicque potest Deum movere, saltem de congruo ad praemiandum: at verò illa opera in Adamo, cum fuissent facta ante peccatum, videntur postea retractari per ipsum peccatum, sicque indigna omni premio apud Deum.

Argues 2. Implicat dari aliquam gratiam, quae conducat ad salutem alicujus, & non dari ex intentione ipsius salutis; sed si detur ex tali intentione, est effectus; ergo non potest esse causa. Respondeo majorem esse veram, si talis gratia detur ut conducat ad salutem; aliter tamen si non ita detur, sed ob alios fines, licet praevideatur ad illam postea conducat, quod non implicat; siquidem totum id pendet ex libera Dei voluntate ita decernente.

Assertio 3. Purus homo justus de facto fuit causa meritoria praedestinationis alterius in executione quoad aliquos ejus effectus. Ita videtur tenere P. Soar. lib. 2. de praedest. cap. 24. num. 8, & tenent P. Herice d. 29. cap. 5. n. 49. P. Tanner. de praedest. d. 3. q. 4. dub. 2. num. 18. P. Martinon. d. 21. sect. 3. num. 29. & tenere debent Doctores cit. n. 112. Probatur primò ex illo 2. Cor. 13. ibi: *Oramus autem, ut nihil mali faciatis*, ubi Apostolus orabat, ut mundi à peccatis conservarentur mediis actibus liberis, quibus consequerentur gratias usque ad glorificationem; sed non ita oraret, nisi intelligeret, ipsam orationem habere aliquam vim imperatoriam, & meritoriam; ergo &c. Confirmatur ex Jacob. 5. ubi sic hortatur: *Orate pro invicem, ut salvemini*; multum enim valet deprecatio iusti assidue apud Deum.

Probatur secundò ex D. Aug. serm. de D. Stephano, ubi Deum sic loquentem inducit: *Si prote, Paule, Stephanus servus meus non orasset, disperderem in mente disperdere te*; ergo si Deus praedestinando Paulum pro medio conversionis illius assumpserat orationem D. Stephani, jam de facto merita unius Stephani fuerunt causa meritoria executionis praedestinationis Pauli quoad aliquos ejus effectus. Confirmatur primò ex orationibus Sanctae Monicae respectu D. Augustini; aliorum Sanctorum, qui per aliquorum Sanctorum orationes concepti sunt, & sanctitatem adepti: & ex Ecclesia quae orationes instituit ad salutem hominum petendam; non quod per illas dispositio divina sit mutanda, sed ut, quod Deus disposuerat, impleatur; ergo &c. Secundò, quia de facto unus justus meretur vocationem congruam alteri homini; sic enim dicunt communiter Sancti Patres de D. Stephano respectu D. Pauli; sed merendo illam, saltem mediata ac remotè meretur etiam reliquas vocationes congruas, quae in illa prima fundantur, ut nullus deficiatur; ergo jam ei meretur plures effectus praedestinationis, & saltem ex parte ejus executionem.

Assertio 4. Nullus homo purus de facto meretur in executione praedestinationem alterius quoad omnes ejus effectus. Ita P. Soar. P. Herice, P. Martinon. citati, & alii communiter. Probatur, quia si ita de facto mereretur, etiam mereretur primam vocationem congruam sibi ipsi datam, ut oraret, & mereretur pro illo; siquidem etiam haec

est effectus illius prædestinationis; sic enim Deus ex intentione salvandi D. Paulum dedit primam vocationem congruam D. Stephano ut oraret pro illo, & converteretur; sicque de aliis; nam omnia quæ cōducunt ad alicujus salutem, ex ejus intentione sunt à Deo electa ut media ad ipsam salutem in effectu consequendam; sed hanc primam vocationem non meruit; siquidem prima vocatio, cum sit principium meriti, non cadit sub meritum; ergo neque omnes effectus prædestinationis alterius.

124. Oppositum tenent P. Vasq. 1. part. d. 94. cap. 5. à n. 4. P. Alarcon. d. 3. cap. 6. n. 9. P. Arriaga d. 37. sect. 2. n. 23. Pro quibus: Argues 1. D. Augustinus contra Massilienses ex eo arguit, nullum posse mereri totam suam prædestinationem, quia primam vocationem sibi datam mereri nequit; sicque videtur sentire ab hac, & non à primâ vocatione alterius pro illo orantis, aut merentis incipere ejus prædestinationem, sed alter potest ei mereri hanc primam ejus vocationem; siquidem jam de facto D. Stephanus eam meruit D. Paulo; ergo & omnes effectus prædestinationis illius.

125. Respondeo D. Augustinum bene arguere nullum posse mereri omnes effectus suæ prædestinationis ex eo, quod non possit mereri suam primam vocationem, cum hæc etiam inter ipsos effectus numeretur: non tamen inde bene arguitur, eum judicasse illam esse primum effectum ipsius prædestinationis, & ad hanc non pertinere etiam vocationem illam congruam alteri datam, ut ei ipsam primam vocationem mereatur. Addo D. Augustinus & alios Patres, si quando appellarunt eam primam vocationem D. Pauli v.g. primum effectum prædestinationis illius, & non ita vocationem illam primam datam D. Stephano, ut oraret pro illo, locutos fuisse de solis effectibus ab ipso prædestinato procedentibus, non autem de aliis procedentibus ab alio pro eo orante, ac merente; siquidem gratia vocationis absolute sumpta non est tantum illa, quæ prædestinato inhæret, sed etiam quælibet alia ad ejus salutem conducens.

126. Argues 2. Sequitur ex hoc, preces à Christo Domino factas pro aliquo speciali homine, & primam ejus vocationem ad illas, esse effectus prædestinationis talis hominis; consequenterque Christum Dominum de facto non meruisse omnes effectus talis prædestinationis; siquidem non meruit illam primam vocationem; sed hoc non est dicendum; siquidem Christus Dominus omnibus hominibus de facto meruit, & primam electionem ad gloriam, & omnes ejus effectus, ut ex Scriptura & Sanctis Patribus communiter probant Theologi; ergo &c.

127. Respondeo negando sequelam, nam ut ipsæ preces Christi Domini, & prima ejus vocatio ad illas, essent effectus prædestinationis illius hominis, debebant esse naturâ posteriores; sic enim posterior est omnis effectus suâ causâ; non autem ita sunt posteriores, sed priores; siquidem prius prædestinatus fuit Christus Dominus cum omnibus suis meritis, quàm homines electi ad gloriam, ut supra diximus, & ex talibus meritis sic prævisus motus est Deus ad eligendos homines; sicque fuerunt causa, & non effectus electionis eorum: at verò in homine prius fuit de facto ejus electio ad gloriam, & postea omnia media electa ad illam; consequenterque omnia sunt effectus electionis illius, sive sint intrinseca, qualia sunt data ipsi prædestinato, sive extrinseca, qualia sunt alteri data in ejus favorem, pro ut supra diximus.

128. Argues 3. Solum principium bene operandi est propriè gratia respectu alicujus sic operantis, & est effectus prædestinationis illius; sed oratio unius puri hominis orantis pro alio non est principium bene operandi respectu illius, cum potius ei imputetur ipsum principium; ergo propriè non est gratia, neque effectus prædestinationis illius. Respondeo negando majorem; nam omne illud, quod ad alicujus prædestinationem conducit, & ex effectu salutis ipsius ei datur, est ipsius prædestinationis effectus, cum autem ita se habeat oratio illa imputans alicujus conversionem, etiam illa est ipsius prædestinationis effectus, & ab illa, seu potius à prima vocatione divina ad illam, incipit ipsa prædestinatio.

129. Assertio 5. Homo justus, bene potuit mereri alterius prædestinationem in executione quoad omnes ejus effectus. Hæc constat ex dictis: Probatur facili, quia Deus potuit aliquem justum prædestinare, & ei dare auxilia ex sola intentione propriæ salutis, aut ex aliquo alio fine, quin attendat ad salutem alterius, licet prævideat inde postea orituram: deinde ex operibus bonis factis per talia auxilia ita præstita potuit postea moveri ad dandum primum auxilium, & subsequenter usque ad gratiam finalem alteri, ut gloriam assequatur; cum in eo nulla appareat repugnantia, imò maxima Dei libertas; sed tunc hujus hominis salus inciperet ab hoc primo ejus auxilio, & per alia consummaretur, ac tandem in executione acquireretur; ergo tunc ille purus homo totam ejus prædestinationem quoad omnes illius effectus in executione mereretur.

SECTIO VII.

Utrum Christus Dominus fuerit causa meritoria nostra prædestinationis?

130. **D**IFFICULTAS 1. Utrum Christus Dominus fuerit causa finalis, & exemplaris nostræ prædestinationis? Dico 1. Christus Dominus fuit causa finalis nostræ prædestinationis. Probatur ex illo Epheſ. 1. ibi: *Prædestinavit nos per JESUM-Christum in ipsum.* Ubi præpositio per videtur denotare causam meritoriam; præpositio autem in causam finalem. Et 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei;* non autem essemus Christi, nisi nostra felicitas ad ejus gloriam ut ad finem ordinaretur; sicut omnia nostra sunt, quia ad nostram felicitatem ordinantur. Et ad Hebr. 1. ubi Christus dicitur: *Constitutus heres universorum.* Et Rom. 8. ubi dicitur: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;* id est primariò à Deo intentus. Et ad Coloss. 1. *Quoniam in ipso condita sunt omnia, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesie.* Et ad Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia;* ergo &c.

131. Dico 2. Christus Dominus, prout est causa finalis, non potuit esse causa discriminis, propter quam prædestinaretur hic homo potius, quàm ille. Probatur, quia ad Christi gloriam nihil interest hunc potius quàm illum hominem prædestinari; siquidem Deus sicut habet æqualem potentiam erga omnes ut illis tribuat sanctitatis gradum, & illi æqualem potentiam obedientialem, ut illum recipiant, sic æqualem inde Christi gloriam colligit; ergo &c. Confirmatur, quia gloria Dei æqualiter colligi poterat ex prædestinatione aliorum, qui non sunt prædestinati, ideòque non ejus gloria, sed ejus

ejus mera libertas fuit ratio, cur potius Petrus, quam Judam prædestinaret; ergo idem de gloria Christi.

332. Dico 3. Christus Dominus fuit causa exemplaris nostræ prædestinationis. Probatur primò ex Scriptura ad Rom. 8. ibi: *Quos præfecit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, &c.* id est ad eum finem nos prædestinavit, ut ait 1. Cor. 15. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis.* Et specialiter de gloria corporis ad Philipp. 1. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; ergo &c.* Secundò ex Sanctis Patribus D. Aug. lib. de bono persever. cap. ult. *Nullum est, ait, illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse IESUS.* Idem habet lib. de prædest. Sanctior. cap. 15.

333. Difficultas 2. Utrum Christus Dominus fuerit Causa meritoria nostræ prædestinationis secundum primam intentionem, & electionem efficacem ad gloriam? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 24. à n. 16. & tom. 1. in 3. dist. 41. sect. 2. P. Vasq. d. 94. cap. 2. & 3. P. Fonf. 3. Met. lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 2. P. Mol. 1. p. d. 1. a. 4. & 5. memb. 3. P. Valent. 1. p. q. 23. pun. 4. P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 2. n. 7. P. Tanner. 1. p. d. 3. q. 4. dub. 2. P. Ruiz de prædest. d. 57. sect. 6. n. 1. P. Præposit. 1. p. q. 23. art. 8. dub. 5. n. 44. P. Arriaga d. 37. sect. 5. n. 39. P. Martinson. d. 21. sect. 4. n. 35. Probatur primò ex Scriptura ad Ephes. 1. ibi: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, &c.* ergo si benedixit nos in omni benedictione, cum electio efficax ad gloriam sit maxima omnium benedictio, facta fuit ex meritis Christi. Confirmatur, quia elegit nos sicut benedixit; sed benedixit ex meritis Christi; ergo ex eisdem nos elegit, ut hic admittit D. Chrysost. Hom. 1. ubi loco præpositionis in apponit præpositionem per, quæ denotat causam meritoriam: *Per quem, inquit, nos benedixit, per eundem nos elegit.*

334. Probatur secundò ex illo etiam ad Ephes. 1. ibi: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per IESUM Christum in ipsum.* Ubi præpositio per denotat causam meritoriam. Et, *gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et, *Instaurare omnia in Christo.* Et, *Considerare fecit in celestibus in Christo IESU.* Et 1. Tim. 2. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus IESUS.* Et 2. Tim. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propitium suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo IESU ante tempora secularia.* Et Joan. 17. *Dilexisti eos, sicut me dilexisti: ubi dictio sicut ponitur pro quia, ut notavit D. Aug. tract. 110. in Joan. & D. Jeron. lib. 2. in Joann. Ideo, inquit, nos diligit, quia Filium dilexit Pater.* Et Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre: nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: ubi cum terminus omnia sit universalis, omnem potestatem ad salutem includit, sub qua continetur, ut pars præcipua potestas eligendi ad gloriam, & veniendi ad agnitionem Patris per glorificationem; ergo hanc potestatem habuit Christus Dominus; sed non illam habuit otiosè, sed applicantem merita sua ad consecutionem gloriæ; ergo ex illis nos elegit Deus, ut ipsemet Christus testatur Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.**

335. Probatur tertio rationibus: Prima, quia Christus Dominus dicitur absolutè causa nostræ prædestinationis, ut constat ex loco D. Paul. cit. ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per IESUM Christum in ipsum;* sed non ita diceretur,

si non esset causa meritoria illius primæ electionis ad gloriam; cum hæc sit præcipua pars ipsius prædestinationis, à qua aliæ dependent, & procedunt; ergo &c. Secunda, quia id non repugnat, neque ex parte meritorum Christi Domini, quæ cum sint infinita, possunt mereri omne præmium, etiam possibile; neque ex parte ipsius electionis, quæ cum sit posterior electione, & meritis Christi Domini, ut patet ex supra dictis, potuit ab illis causari; neque ex parte Christi Domini, cum id in majorem potius honorem, & gloriam cedat; neque ex parte ipsius prædestinati, quia cum omnes sint membra Christi Domini, ab eo ut à capite debebant accipere omnem influentiam spirituales; non apparet aliud ex quo repugnet; ergo &c.

Oppositum tenent Adamus in Epist. ad Ephes. 1. & ad Philip. 1. & 2. Petr. 1. Capreol. in 3. dist. 18. q. unica art. 3. Scot. in 3. dist. 19. q. 1. §. In ista, & 5. Sed hic sunt. Ferrar. 4. contr. gent. cap. 55. §. An autem, Driedo de captiv. & redempt. gener. human. tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4. ad 1. Almain in 3. dist. 19. q. 1. Major. q. 1. in 3. argum. & alii apud Doctores citatos: pro quibus Argues 1. Ex illo Matt. 20. 23. *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Et Joan. 17. ibi: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, tui erant, & tu illos mihi dedisti: quibus in locis, & similibus significatur, Deum ex sua voluntate, & non ex meritis Christi elegisse nos ad gloriam; ergo illius merita non fuerunt causa meritoria nostræ prædestinationis quoad primam electionem, licet ita fuerint quoad executionem.*

Respondeo ad primum locum cum D. Hieron. Christum Dominum ibi non exclusisse sua merita ab hominum prædestinatione, sed solum voluisse docere, non dari eis salutem ex mero alterius intercedentis favore, ut sæpius fit inter homines, sed ex ipsius accipientis meritis: sicut igitur Christus Dominus ibi merita propria prædestinati non exclusit, sed postulavit, ita etiam sua propria ut causam meritoriam non exclusit. Ad secundum dicimus, prædestinatos, licet propter redemptionem speciali modo pertineant ad Christum Dominum, adhuc etiam speciali modo pertinere ad Deum, quatenus Deus ex sua mera voluntate accepit pro illis eligendis merita ipsius Christi Domini; sicque dicuntur prædestinati per Christum, non tamen à Christo, sed à Deo; siquidem prædestinare importat causam simpliciter principalem, & hæc est sola voluntas Dei.

Argues 2. Ex illo Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et ex illo ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam, quæ dilexit nos, cum essemus mortui vivificavit nos in Christo, &c.* ex quibus, & similibus locis inferitur, voluntatem redimendi, & salvandi homines provenisse ex puro Dei amore, & non ex meritis Christi; ergo &c. Respondeo primò in his locis solum significari, voluntatem redimendi, & salvandi homines fuisse merè gratuitam in ordine ad ipsos homines, licet fuerit ex iustitia in ordine ad merita Christi. Secundò, illam voluntatem fuisse gratuitam absolutè, quatenus Incarnatio, in qua ut in prima causa meritoria fundatur, fuit à Deo merè gratuita, sicque ratione illius fuit etiam gratuita ipsa voluntas, saltem in radice; sicut gratuita dicitur nostra justificatio, quatenus incipit à prima vocatione gratis data à Deo.

Argues 3. Prius fuit intentio nostra salus, quam Christi

Christi merita prævisa; siquidem, ut supra diximus, Christus fuit prædestinatus in remedium peccati, & ex intentione nostræ salutis, tanquam ex fine; finis autem semper est prius intentus, quam media electa; ergo non potuit nobis eam mereri quoad illam primam intentionem, & electionem. Respondeo negando antecedens, si loquamur de salute efficaciter intenta: nam prius decreta sunt à Deo Incarnatio ex intentione salutis totius generis humani, conditionatè tamen, si ipsi homines vellent ex parte sua cooperari, sicque inefficaciter quoad applicationem meritorum, licet efficaciter quoad productionem Christi, postea verò ex talibus meritis Christi prædestinati fuerunt efficaciter electi. Patet à simili in illa voluntate generali salvandi omnes habita ex intentione divinæ gloriæ, quæ fuit efficax in ordine ad dandum esse; inefficax verò in ordine ad salutem consequendam; sicque similiter hæc fuit efficax in ordine ad redemptionem, quæ tota pendebat ex parte Christi; inefficax vero in ordine ad salutem consequendam, quæ etiam pendebat ex cooperatione hominum.

140. Instabis: Christus Dominus fuit prædestinatus ut Redemptor; sed non potuit sic prædestinari, nisi simul in eodem signo prædestinarentur electi siquidem correlativa sunt simul; ergo non potuit esse causa meritoria electionis eorum; cum hæc debeat præsupponi ad effectum. Respondeo Christum Dominum fuisse prædestinatum Redemptorem omnium hominum, non solum prædestinatorum, sed etiam reprobatorum, in quo signo prædestinati adhuc non fuerunt efficaciter electi, sed postea, sicque potuerunt eligi ex meritis illius jam prævisis. Imò etiam in ipso signo Voluntas divina primò, & directè fuit terminata ad Christum; secundò autem, & indirectè ad alios homines, qui jam ex meritis Christi prævisis eligi poterant; siquidem per ipsa merita constituebatur Christus eorum Redemptor; sicque semper præsupponebatur ad eorum electionem. Nisi velis cum aliquibus dicere, Christum Dominum fuisse prædestinatum ad titulum Redemptoris signatè tantum, per sua tamen merita postea exercitè consequendū.

141. Argues 4. Christus Dominus non fuit causa meritoria illius primæ electionis inefficacis omnium hominum ad gloriam; ergo neque huius primæ electionis efficacis prædestinatorum ad gloriam. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia illa prima electio inefficax, cum fuerit ante prævisum peccatum Adæ in esse absoluto, & Christus post illud prædestinatus, non potuit esse ex illius meritis; licet tamen fuerit ex illius complacentia, utpotè quem Deus jam prævidebat in esse conditionato: at verò electio efficax, cum fuerit post peccatum absolute futurum, & etiam post illud fuerit Christus prædestinatus, potuit esse ex meritis illius, qui jam præsupponebatur: imò id postulabat dignitas capitis, & Redemptoris.

142. Difficultas 3. Utrum Christus Dominus fuerit causa nostræ prædestinationis quoad omnes effectus in executione? Affirmativè. Ita D. Thom. 3. p. 1. q. 24. a. 4. Caiet. D. Bonav. in 3. dist. 11. a. 1. q. 3. Albert. dist. 10. a. ult. Alens. 3. p. q. 3. memb. 5. Palud. q. 1. a. 3. Soa. lib. 2. de præd. cap. 24. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 2. n. 3. P. Vasq. 1. p. d. 94. cap. 2. & 3. P. Mol. 1. p. d. 1. a. 4. & 5. P. Valent. 1. p. d. 1. pun. 4. P. Fonf. 3. Met. lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 2. P. Herice tract. 3. d. 29. cap. 1. n. 2. P. Martinon. d. 21. sect. 4. n. 38. & alii communiter; qui huiusmodi difficultatem intelligunt de effectibus tam positi-

Tóm. 1.

vis, sive intrinsecis, sive extrinsecis, nempe de inspirationibus, illuminationibus, cooperationibus, habitibus infusis, applicatione Sacramentorum, prædicatione Verbi Dei, exemplis excitantibus, & similibus; quàm de negativis, nempe de impeditione tentationum, ablatione occasionum peccandi, & similibus. Imò etiam illam intelligunt de illis effectibus, qui ab aliis fiunt, qui tamen conducunt ad salutem prædestinati, qualis fuit oratio D. Stephani respectu D. Pauli; Sanctæ Monicæ respectu D. Augustini, sicque de aliis.

143. Probatur 1. ex illo ad Ephes. 1. ibi: *Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in celestibus in Christo*: quod saltem probat omnia dona gratiæ nobis donati ex meritis Christi, sive per Christum (idem enim significat *in*, atque *per*, ut supra diximus), incipiendo à prima vocatione usque ad consummationem gloriæ. Hoc idem probant citata loca numer. 133. & 134.

144. Probatur secundò autoritate Conciliorum Milevit. tom. 1. cap. 3. ibi: *Item placuit, ut qui cumq; dixerit, gratiam Dei, in qua iustificamur per JESUM Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit*: ubi dicitur, gratiam, quâ iustificamur, & quæ valet, ut peccatum non committamus, qualia sunt auxilia supernaturalia, nobis donari per JESUM Christum. Idem habet Concil. Araus. 2. can. 25. & Trid. sess. 6. cap. 5. ubi definit: *Iustificatio exordium in adultis à Dei per Christum JESUM præveniente gratiâ sumendum esse*; hoc est ab ejus vocatione; ergo denotat, & Deum esse causam efficientem omnis doni gratiæ, & Christum esse causam meritoriam. Accedit definitio Cælestini Papæ Epist. 1. cap. 10 in quo definit, omnia gratiæ beneficia contingere nobis ex meritis Christi. Propter hæc dicit P. Vasq. cit. resolutionem hanc esse catholicam. P. Herice cit. contrariam dicit erroneam; & erroneam etiam, & plusquam temerariam dicit P. Soar. cit. n. 39. si sermo sit de prædestinatione quoad effectus intrinsecos, quales sunt peculiare, & internæ gratiæ, quæ in electis sunt prædestinationis effectus.

145. Probatur tertio ratione, quia Christus Dominus fuit à Deo constitutus mediator, & caput hominum; sed ad dignitatem mediatoris, & capitis spectabat omnem motum spiritualem ex propriis meritis in sua membra influere, & derivare; præsertim, quia ejus merita, ut potè infinita de se poterant sic extendi ad tale præmium, & infinitus Dei amor erga suum Filium ipsum Deum impelleret ad ea acceptanda pro tali præmio ei donando; ergo &c. Confirmatur, quia si homines independentè à meritis Christi Domini haberent hæc dona, sequeretur, quod iidem, qui nunc salvantur, salutem consequerentur ex vi præsentis decreti, etiam si Christus in carne passibili non venisset; sed hoc est contra Sanctos Patres communi consensu affirmantes, quod homines salutem non consequerentur, nisi Deus fieret homo; ergo &c.

146. Obijcies 1. Incarnatio est effectus nostræ prædestinationis; siquidem est præcipuum ejus medium à Deo ad illam ordinatum juxta illud: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de celis*; sed Christus Dominus illam non meruit, ut suppono probatum ex materia de Incarnatione; ergo neque omnes effectus prædestinationis. Respondeo primò negando majorem, & ad probationem dicimus eo in loco solum intelligi decretam fuisse Incarnationem ex generali voluntate

N n

salvandi

salvandi omnes, & non ex speciali salvandi solos prædestinatos; siquidem Christus Dominus etiam pro reprobis incarnatus, & mortuus est; sicq; potuit esse prius, & causa prædestinationis, omniumq; effectus illius, & non medium, neque effectus; illud enim, quod est prius non potest esse effectus illius, quod est posterius.

147. Respondeo secundo cum aliquibus, datâ majori, & minori, negando consequentiam, admittunt enim Incarnationem, & Christi merita esse effectus nostræ prædestinationis, addunt tamen Christum Dominum meruisse omnes ejus effectus, sed illos tantum, qui sunt destinati ab ipsâ Incarnatione, & meritis ipsius Christi Domini; cum idem non possit esse causa sui ipsius; alioqui esset prius se ipso; sicque concludunt Apostolos loco citato, & Concilia, quando dicunt omnem gratiam nobis conferri per Christum, loqui tantum de illa gratia, quæ est distincta ab ipso Christo, & ejus meritis.

148. Obijcies 2. Dona naturalia sunt effectus prædestinationis; & tamen Christus Dominus ea nobis non meruit; siquidem solum nobis meruit dona amissa ab Adamo, qualia erant supernaturalia, ut ait P. Mol. & alii; ergo nobis non meruit omnes prædestinationis effectus. Resp. negando majorem, si loquamur de ipsis donis quoad primum eorum decretum; hoc enim, ut supra diximus, fuit voluntas illa generalis salvandi omnes, quæ cum præcesserit decretum divinum efficax prædestinans, quæ nobis fuerunt donata ex vi illius primæ voluntatis non potuerunt esse effectus prædestinationis, quæ postea subsecuta fuit. Verum quidem est, Deum postea omnia illa in electorum commodum retulisse ex meritis Christi Domini jam prævisis in esse absoluto; consequenterq; quoad hoc secundum decretum mansisse jam effectus, & prædestinationis, & meritorum Christi Domini.

149. Obijcies 3. Christus Dominus nobis non meruit augmentum gratiæ; siquidem hoc nobis ex nostris meritis donatur; & tamen tale augmentum inter prædestinationis effectus numeratur; ergo jam non omnes effectus nobis meruit. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, illud augmentum nobis donari, & ex nostris, & ex Christi Domini meritis, diverso tamen modo, nempe ex meritis Christi, ut ex causa meritoria universali; ex nostris autem, ut ex causa meritoria particulari.

150. Obijcies 4. Remissio peccæ in Purgatorio facta est effectus nostræ prædestinationis; siquidem nimis conducit ad vitam æternam; quæ autem sic conducunt, sunt prædestinationis effectus, ut infra dicemus; & tamen Christus Dominus eam nobis non meruit; siquidem solam gloriam, & gratiam nobis meruit; talis autem remissio non est gratia, sed pura debiti solutio; ergo &c. Respondeo negando minorem, sive ipsa remissio fiat per indulgentias, sive per puram satisfactionem, & debiti solutionem: tum quia indulgentiæ fundantur in Christi meritis: tum etiam quia Christus meruit, quod ipsa peccæ, cum antea esset æterna, mutaretur in temporalem, ut locum haberet remissio per puram satisfactionem, & debiti solutionem facta, sicque hæc, saltem radicaliter in ipsis Christi meritis fundatur.

151. Obijcies 5. Christus Dominus pro omnibus tam electis, quam reprobis mortuus est; & tamen his gratiam, & gloriam non meruit; ergo neque illis; consequenterque eis non meruit omnes effe-

ctus prædestinationis. Respondeo negando minorem; sic enim meruit reprobis quoad sufficientiam, licet solis prædestinatis quoad efficaciam.

Obijcies 6. Meritum illud, quo Virgo Sanctissima sibi meruit de congruo Maternitatem, fuit effectus prædestinationis illius; & tamen Christus Dominus illud non meruit Virgini Sanctissimæ; siquidem cum fuerit ante Maternitatem, & hæc ante ipsum Christum, non potuit Christus illud mereri, quod fuerat ipso prius; ergo neque meruit omnes prædestinationis effectus. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dicimus, illud meritum, & Maternitatem Virginis Sanctissimæ fuisse prius Christo Domino, ut decreto, & producto per secundam actionem, non autem ut decreto per primam independentem à Matre in statu, quo Adamus fuit creatus, & ipse Christus Dominus postea fuit passus; nam prout sic prius fuit prævisus cum suis meritis, idèq; potuit mereri illud meritum, & Maternitatem Virgini Sanctissimæ.

SECTIO VIII.

Virum Christus Dominus meruerit nostram electionem ad gloriam, prout illa dicit electionem aliquorum præ aliis?



DVERTES primò cum P. Herice 1. 3. d. 29. cap. 3. num. 21. & ex supra dictis d. 2. à n. 448. inter dilectionem & electionem illud dari discrimen, quod licet tendant in idem objectum, & in re sint unus, & idem actus, hic tamen in quantum vult bonum dilecto, dicatur dilectio; & in quantum vult tale bonum ipsi dilecto præ aliis, dicatur electio. Secundo in hac comparatione unius præ aliis involvi aliam voluntatem, sive expressam, sive virtuale non dandi aliis tale bonum, quod uni vult præ aliis, ut patet in eo, qui advertens, se posse dare beneficium tribus personis, uni tamen dat; hic enim, si non expresse, saltem interpretative vult non dare aliis, aut per actum positivum liberum, aut per solam omissionem. Terriò, quætionem hic esse, an Christus Dominus meruerit specialem prædestinationem electionem secundum rationem electionis seu (quod est idem,) an Christus Dominus specialiter, ac determinatè obtulerit sua merita pro prædestinatis; vel indifferenter tantum pro illis, & reprobis, ita ut Deus, illis prævisis, eligeret, quos vellet? Hoc posito.

Difficultas 1. Utrum Christus Dominus nobis meruerit electionem ad gloriam, ut electio est? Affirmative. Ita P. Vasq. 1. p. d. 94. cap. 3. num. 17. P. Lessius lib. de prædest. sect. 3. num. 42. 43. & 44. P. Arrub. 1. p. d. 78. cap. 1. num. 6. P. Herice 1. 3. d. 29. cap. 3. num. 22. P. Ruiz hic d. 57. sect. 7. num. 5. P. Alarcon. 1. p. tractat. 4. d. 3. cap. 5. num. 4. & alii. Probatum primò ex Scripturâ Joan. 15. ibi: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: que verba aut intelligenda sunt de electione ad gloriam, ut ea intelligunt D. Aug. lib. de prædestinat. Sanctior. cap. 17. D. Prosper lib. contra Collator. & in psalm. 131. aut de electione ad Apostolatam, ut sentiunt D. Chrysostomus. Cyrillus. Leon. Theophilactus. Euthym. & P. Maldonat: Si primum, ergo Christus, qui eos dixit elegisse, eis meruit electionem præ aliis: Si secundum, ergo si Christus per applicationem suorum meritorum

meritorum fuit primus elector ad Apostolatam, & voluntas Patris in eo se conformavit voluntati Christi, cur non ita se ei conformaret in electione ad gloriam præ aliis?

155. Probatum secundò ex illo Matt. 28. ibi: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra*: ubi loquitur Christus de potestate sibi data in ordine ad salutem, & dona gratiæ, quam habebat ut Redemptor omnium hominum, ut communiter docent Patres ad hunc locum; sed illam non haberet, si solam haberet potestatem ad diligendum, & exequendum, quod Pater prædefinendo eligeret; tunc enim non posset dicere, datam sibi esse omnem potestatem, sed solam executionem eorum, quæ Pater decerneret; ergo &c. Confirmatur, quia si Rex apud se statuisset dare Regni officia certis hominibus, idque alicui exequendum committeret, hic neque posset Regis decreta mutare, neque dicere, datam sibi esse omnem potestatem in tali Regno, sed solam executionem; ergo cum Christus dicat se habere omnem potestatem distribuendi dona supernaturalia, dicendum est ad ipsum pertinere, non solum eorum executionem, sed etiam primam electionem.

156. Probatum tertio rationibus: Prima, quia prædestinatus in eo, quod sit præ aliis electus, aut superat in aliquo speciali beneficio non prædestinatum, aut non: Hoc secundum dici non potest, ut per se est evidens: Si primum; ergo Christus Dominus fuit talis beneficii author; alioqui Deus non benedixisset nos propter Christum in omni benedictione contra id, quod dicit Apostolus ad Ephes. 1. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo*: id est in omni beneficio; ergo fuit causa meritoria illius electionis præ aliis. Secunda, quia Christus Dominus antequam haberet merita, & ea offerret, præseiebat, omnes homines esse originali infectos; deinde præseiebat etiam, quod si Patri pro omnibus sua merita offerret, Pater hos potius, quam illos eligeret; ergo cum voluit sic pro omnibus indifferenter offerre de facto, saltem virtute, & interpretativè, ac indirectè voluit illam aliquorum præ aliis electionem; ergo non solum voluit dilectionem specialem, ut dilectio est, sed etiam ut electio est.

157. Oppositum tenent *P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 24. num. 21. P. Tanner. d. 3. de prædest. q. 4. dub. 2. n. 10. P. Amicus de prædest. d. 15. sect. 3. n. 47. P. Martinon. d. 21. sect. 4. n. 40. & alii*: Pro quibus: Argues 1. Ut merita Christi Domini essent causa meritoria illius electionis, ut electio est, deberent necessariò prævideri ut applicata ab ipso Christo specialiter pro illis; alioqui ex vi eorum absolute pro omnibus oblatores Voluntas Dei non determinaretur potius ad hos, quam ad illos; sed non fuerunt ita prævisa; siquidem posita ipsa præscientiâ, & Christi oblatione, adhuc Deus, aut nullo, aut omnes, aut potius hos, quam illos poterat efficaciter eligere; ergo ex vi talis oblationis non sequitur fuisse Christum Dominum causam meritoriam talis electionis, ut electio est. Confirmatur ab exemplo, quia si testator dorem centum v.g. virginibus indeterminatè dandam relinquat, & postea hæres potius has, quam illas eligat, licet præcipuum beneficium debeant testatori, aliquid tamen debent heredi in ea determinatione, quod non debent testatori, deberent autem, si illas determinatè nominaret; ergo similiter, licet Christus Dominus pro omnibus hominibus merita offerret, & Deus ex vi illorum potius

Tom. 1.

hos, quam illos eligeret, non idè hi debent Christo illud beneficium electionis præ aliis, sed Deo, licet absolute ipsi Christo debeant electionem.

158. Respondeo primò negando minorem, ut ex infra dicendis constabit. Respondeo secundò ad majorem, non esse id, quod in ea proponitur, absolute necessarium, sed satis esse, quod Christus Dominus habuisset præscientiam conditionatam ipsius electionis, & ex speciali complacentia sua merita absolute applicuisset, ut diceretur velle illam, saltem indirectè, & consequenter, ut esset illius causa. Ad probationem dicimus non obstat, quod adhuc Deus possit omnes, aut nullos, aut hos potius quam illos eligere; siquidem etiam facta à Christo Domino illa applicatione expressâ, adhuc Deus posset sic eligere, aut non eligere; & tamen tunc per ipsos Adversarios Christus esset causa illius electionis, ut electio est; ergo similiter in nostro eventu, etiam illa non admittitur. Neque ex hoc sequitur, ut bene notat *P. Herice cit. n. 23.* quod Pater, & Deus non ostendat specialem benevolentiam, & liberalitatem erga electos in eo, quod sine obligatione cogente, liberè hos potius, quam illos eligat præ aliis, sic enim ostendit; nam cum illa complacentia Christi, imò & ejus oblatio non fuerit absoluta, & efficax respectu Dei, poterat Deus illam non acceptare, consequenterque non eos eligere; sicque quod eos eligat, fuit actus benevolentiae, & liberalitatis specialis. Ad confirmationem dicimus, testatorem non habuisse Scientiam Conditionatam de talium virginum electione, & consequenter neque complacentiam, idèque neque indirectè posse ei attribui earum electionem; attribueretur autem, si illas haberet, sicut illas habuit Christus de prædestinatorum electione à Patre, ex quo nihil contra nos.

159. Argues 2. Ut Christus Dominus mereretur aliquorum electionem præ aliis, deberet simul mereri & horum electionem, & aliorum non electionem, sive negationem electionis; sed ita non meruit; siquidem non fuit missus, ut judicaret mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, ut ipse testatur Joan. 3. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicaret mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*; ergo &c. Respondeo negando majorem: necesse enim non erat, quod mereretur negationem dilectionis, & electionis eorum, qui relinquebantur: tum quia per ipsos Adversarios Christus meruit electis dilectionem, ut dilectio est; & tamen non meruit reprobis ejus negationem: tum quia Misericordia Dei est causa electionis prædestinatorum, ut electio est; & tamen per ipsos Adversarios non est causa negationis ipsius electionis in reprobis: tum etiam, quia Virgo Sanctissima sibi meruit electionem ad Maternitatem Dei; & tamen non meruit aliis fœminis negationem ipsius electionis.

160. Argues 3. Christus Dominus pro omnibus æqualiter mortuus est, ut constat ex illo Rom. 8. 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum*. Et 2. Cor. 5. 14. *Unus pro omnibus mortuus est*: & hoc idem postulabat officium Redemptoris; ergo non meruit prædestinatis dilectionem, ut electio est; siquidem cum prout sic secum deferat non solum comparationem, sed etiam prælationem aliquorum, consequenter etiam deferret voluntatem saltem interpretativam non dandi aliis illud speciale beneficium, quod non videtur dicendum; alioqui jam non ageret æqualiter munus Redemptoris.

N n 2

Ref.

Respondeo negando consequentiam; sufficit enim illa specialis complacentia, quam Christus Dominus habuit de electione prædestinatorum à Patre faciendâ, & à se ipso prævisâ per Scientiam Mediam, ut dicatur velle nostram electionem, ut electio est, licet indifferenter, & æqualiter pro omnibus merita sua obtulisset; neque id officit muneri Redemptoris, cum per ipsos Adversarios meruerit electis efficacem dilectionem, ut dilectio est, quin ita mereretur reprobis; & tamen nihil in eo egit contra munus Redemptoris.

161.

Argues 4. Si Rex tantum auri tribueret alicui redemptori, quantum putaret satis ad redimendos mille captivos, relinquendo tamen determinationem, & electionem eorum ipsi redemptori, verè diceretur eorum redemptor; & tamen non esset causa electionis eorum; ergo etiam Christus Dominus offerendo sua merita efficaciter pro electis, quin hos, aut illos determinet, sed id Patri relinquendo, verè dicitur eorum Redemptor, & meruisse eorum prædestinationem, quin eam mereretur, ut electio est. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem; diversa ratio est, quia Christus Dominus supra pretium illud redemptionis addidit supra dictam Scientiam Conditionatam de eligendis à Patre, & insuper complacentiam de eorum electione, quas Rex ille non haberet; dato tamen, quod illas haberet, sicut habuit Christus Dominus, tunc verè diceretur, sicut ille, causa electionis tale pretium offerendo, ex quo potius confirmatur, quam infirmatur nostra doctrina.

162.

Difficultas 2. Utrum Christus Dominus sua merita specialiter applicuisset pro electis, expressè orando pro illis? Affirmative. Ita *P. Herice tr. 3. d. 29. cap. 3. n. 26. P. Alarcon tract. 4. d. 3. cap. 5. n. 7. P. Arriaga de prædest. d. 37. sect. 5. num. 38.* & ex parte *P. Vasq. d. 94. cap. 4. & P. Ruiz de prædestinat. d. 57. sect. 7. n. 13.* quatenus id solum extendunt ad electos mortuos post, non verò ante Christi Incarnationem. Probatur primò ex illo Joan 13. ibi: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, &c.* sed non ita dedisset omnia in manus Christi, nisi etiam Christo dedisset illam prædestinatorum determinationem pro illis sua merita specialiter offerendo, ac orando; cum tamen hujusmodi determinatio maximum quid sit in negotio salutis, ergo &c.

163.

Confirmatur exemplo, quia si aliquis strenuus Dux plures civitates victoriis compararet, & ab hostium manibus eriperet, & postea Rex per se ipsum, pro ut vellet, eas distribueret, non quidem benè diceretur omnia in manus ipsius Ducis tradidisse, quod tamen aliter esset, si eas Duci distribuendas committeret; ergo similiter, si Pater per se ipsum eligeret prædestinatos ad gratiam, & ad gloriam, idè; Christo non committeret faciendum per specialem suorum meritorum applicationem, & orationem, non benè diceretur, omnia in manus ejus tradidisse, eique dedisse omnem potestatem, ut supra diximus.

164.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia Christus Dominus, ut ipsi Adversarii fatentur, potuit respectu omnium, (etiam Antiquorum Patrum,) esse causa meritoria gratiæ; ergo etiam potuit pro illis orare, & specialiter applicare sua merita; siquidem non major antecedentia requiruntur in oratione respectu rei postulatae, & in applicatione meritorum respectu eorum, quibus applicantur, quam in merito respectu præmii, quod

meretur. Secunda, quia ex *D. Petro Agor. 10. 42.* Christus Dominus constitutus est à Deo *Judex vivorum, & mortuorum*; ergo ut talis esset perfectè, non solum debebat ferre sententiam, sed etiam distribuire gratias, & dona, quibus vellet. Tertia, quia plus honoris deferrebatur Humanitati Christi Domini, ut perfectissimi Redemptoris, & unici Mediatoris, si totum prædestinationis negotium ejus voluntati, ac determinationi committeretur, quam si Deus per se ipsum illam determinaret; ergo cum in tali commissione nihil involvatur indecens, aut repugnans divinis decretis, non est curilam negemus Christo Domino.

Oppositum tenent *P. Soar. lib. 2. de prædest. cap. 24. à n. 23. P. Amicus d. 15. sect. 3. num. 47. P. Martinon d. 21. sect. 4. n. 40.* & alii: Pro quibus: Obijcies 1. Christus Dominus semper electos, & prædestinatos vocat datos à Patre, & non à se electos, ut patet ex illo Joan. 6. ibi: *Hec est voluntas Dei, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, &c.* Et infra: *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo.* Et Joan. 17. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti.* Et infra: *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Et infra: *Quos dedisti mihi ego custodivi.* Et Isai. 8. *Ecce ego, & pueri, quos dedi mihi: & sæpè alibi, ubi dicitur, Christum Dominum eos accepisse à Patre, non autem elegisse; ergo &c.*

Resp. primò Christum Dominum sic dixisse sibi datos à Patre, quia à Patre accepit cogitationem illam congruam, ut specialiter, ac efficaciter oraret pro prædestinatis, nempe pro Petro, & non ita specialiter, sed tantum generaliter, ac sufficienter oraret pro reprobis, nempe pro Judâ. Undè licet eorum electio potius, quam electio reproborum immediate dependit ex Voluntate Christi Domini pro illis specialiter petentis, & sua merita applicantis; dependit etiam à Deo radicaliter, quatenus Deus ex sua libera voluntate dedit Christo Domino cogitationem illam congruam, quando per Scientiam Conditionatam vidit eum pro his potius quam pro illis petiturum, & sua merita specialiter, ac efficaciter applicaturum.

Resp. secundò, dato quod illa cogitatio congrua non admittatur in Christo Domino, quod probabilius judicat *P. Arriaga cit. n. 42.* adhuc nihilominus dicendum, Christum Dominum eos accepisse à Patre, quatenus Pater, cum posset non annuere, ejus tamen annuit petitioni, volendo prædestinare illos potius, quos Christus Dominus designaverat, quam alios; siquidem res optimè dicitur Petro donata, licet Petrus eam petat à donatore; sicq; & à Christo fuerunt electi, quatenus pro illis specialiter, & efficaciter oravit, & à Patre ei donati, quatenus Pater ejus annuit petitioni.

Instabis: Deus prædefinivit eos Christi actus, quibus ille prædestinatos elegit; sicut in nobis nostros prædefinivit actus bonos, prout supra diximus; siquidem hoc ad perfectum dominium, & Creatoris respectu creaturarum perfectam providentiam spectabat; ergo tota ipsa prædestinatorum electio Deo tribuenda est. Respondeo primò cum aliquibus negando antecedens; nam dignitas Christi Domini propter Humanitatis unionem cum supposito divino, & scientias ei datas, & debitas, non egebat eâ actuum prædefinitione. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; nam cum talis prædefinitio non tollat libertatem, neque Christi dominium supra suos actus minuat, idè non tollit quominus electio

electio per illos facta etiam ipsi Christo Domino tribuatur, licet etiam, & principaliter Deo tribuatur ob rationem factam.

169. Obijcies 2. Si Christus Dominus aliquos præ aliis elegisset, sequeretur, fuisse quodammodo causam, ne illi alii eligerentur; consequenterque ut perderentur; diceret enim in ipsa electione, volo hos, & non ut illos eligas ad gloriam; & ut his, non autem illis des auxilia congrua; sequela autem est falsa; siquidem, ut ipse testatur, non venit perdere quemquam, sed potius salvare, ut constat ex illo Luc. 9. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*; ergo &c.

170. Respondeo primò negando minorem; nam si Deus liberè se determinavit ad non danda auxilia congrua reprobis, sed sola sufficientia, cur id ipsum non posset Christus Dominus ab eo petere? Ad probationem dicimus inde non sequi Christum Dominum eos perdere, cum ipsi potius se perdant quatenus auxiliis sufficientibus non sunt cooperati. Patet in ipso Deo, qui decrevit non dare reprobis auxilia efficacia ad gloriam in effectu consequendâ, sed sola sufficientia; & tamen eos non perdidit, sed ipsi se perdidit ex se juxta illud Osee 13. 9. *Perditio tua Israel: tua, id est ex te*. Undè licet sit verum dicere, idè Petrus electus gratias congruas, ac tandem salutem consecutus est, quia Christus efficaciter pro illo oravit, juxta illud Luc. 22. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; non tamen est verum dicere, idè Judas damnatus est, quia Christus pro illo efficaciter non oravit; siquidem efficaciter oravit, ut ei tribuerentur auxilia sufficientia, per quæ poterat beatitudinem consequi, licet non sit consecutus, quia cum ipsius auxiliis sufficientibus connexa sit negatio boni, usûs liberi arbitrii, quæ tota provenit ab ipso Juda, & non à Deo, neque à Christo, sicque Judæ tantum tribuitur tota ejus perditio.

171. Respondeo secundò, & melius negando majorem, nam Christus Dominus in illa oratione solum dixit Patri: *Volo hos, erga alios, etiam optarem, sed non ita urgeo pro illis, fiat voluntas tua*: cum enim sit omnium mediator, ac intercessor, nullum debebat determinatè rejicere, neque reject, ut indicant citata verba, sicut & illa Joan 10. Ego, ait, *veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Et Joan. 3. *Non misit Deus, ait, Filium suum in mundum, ut judicaret mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*: diceretur autem aliquo modo perdidisse, si positivè peteret, ne eligerentur, & salvarentur.

172. Obijcies 3. Si totum salutis negotium fuisset Christo Domino commissum, non posset sine injuria Charitatis illius erga homines dici, eum tam paucos elegisse, cum potius deberet pro omnibus sua merita offerre; ergo &c. Respondeo negando antecedens; major enim est Charitas Dei erga ipsos homines; & tamen sine ulla injuria Charitatis Dei præsumitur tam paucos elegisse; sicque idem dicendum de Charitate Christi; præsertim cum ipsi Adversarii magis eam arguere videantur, quatenus dicunt pro nullo expressè orasse, sed totum Patris voluntati commississe.

173. Obijcies 4. D. Paulus non in voluntatem humanam Christi Domini, sed in divinam refert totum prædestinationis negotium, & hominum electionem, ut patet ex illo Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientie, & Scientie Dei, &c.* Et ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* secundum propositum voluntatis sue; ergo &c. Respondeo primò cum aliquibus, negando con-

sequentiam; nullum enim est inconveniens in eo, quod totum prædestinationis negotium Voluntati Christi sit commissum, nempe, quod omnibus hominibus propositis, etiam sine speciali Dei motione, potius pro his, quam pro illis oraret; ac sua merita offerret, eos potius, quam alios eligendo, cum hoc ad dignitatem ipsius Christi ut capitis, ac omnium mediatoris spectet, & adhuc deberet Deo principaliter tribui, ut patet ex supra dictis, & patebit ex dicendis, quod ita Deo tribui voluit D. Paulus locis citatis.

Respondeo secundò cum aliis, Deum inspirasse Christo Domino, quos ille volebat prædestinatos, ut ipse Christus Dominus illos efficaciter peteret, & hos tantum sic petiisse, & prout sicutum prædestinationis negotium dicitur in Dei consilium, & voluntatem refundi, in quo sensu locutus est Apostolus. Unde dicunt, Deum per Scientiam Mediam cognovisse, si Christo Domino daretur optio, eum electurum hos potius, quam illos, Deumque in tali electione complacuisse ineffaciter, posteaque talem complacentiam revelasse Christo Domino, qui ex hac revelatione, licet posset facere quidquid vellet, motus est potius hos, quam illos eligere, sicque se Patris voluntati accommodavit, & adhuc liberè elegit, quos voluit.

Inferes: Ergo daretur mutua causalitas non admittenda; siquidem electio illa conditionata Christi Domini fuit causa motiva illius complacentiæ divinæ, & hujusmodi complacentia fuit causa motiva electionis absolutæ Christi Domini, utpotè qui propter illam prævisam, & revelatam motus est ad hanc electionem absolutè faciendam. Respondeo negando illationem; illa enim complacentia Dei non fuit causa electionis absolutæ Christi Domini; siquidem hæc prævisa fuit in esse conditionato ante illam complacentiam; cum autem causæ in esse absoluto, & in esse conditionato sint eadem; illa verò complacentia non fuerit causa istius electionis in esse conditionato, utpotè illa posterior, neque fuit illius causa in esse absoluto, ac proinde sine illa poterat dari; consequenterque non datur illa mutua causalitas; licet illa complacentia Patris potuerit ex superogatione Christum Dominum allicere ad libentius, & alacrius electionem illam faciendam.

Obijcies 5. Antiqui Patres præcesserunt Christum Dominum, ut potè ejus progenitores; ergo saltem pro illis non potuit Christus determinatè sua merita offerre. Respondeo negando consequentiam: nam Christus Dominus, ut supra jam tetigimus, fuit decretus per unam actionem totalem independentem ab ullo progenitore, & sub illâ prævisam benè operantem prius naturâ, quam illi essent, & per eam bonam operationem à Patre postulavit in particulari eorum prædestinationem; imò & Virginis Sanctissimæ cum præsertione ab originali, & gratiâ, per quam ipsa Virgo Sanctissima sibi meruit Matris dignitatè. Ita P. Ariaga, P. Herice cum aliis.

Instabis: Christus Dominus jam existens sciebat Antiquos Patres jam præterisse, prædestinatos fuisse, & habuisse jam omnia dona gratiæ; ergo non poterat pro illis determinatè orare, illa eadem postulando, quæ jam habuerant; alioquin oratio non minùs impertinens esset, ac si ego postularem, ut Deus produxisset meos progenitores, & omnia, quæ jam dederat, eis dedisset. Propter hoc argumentum dicunt aliqui cum P. Vasq. d. 94. cap. 3. n. 19. & P. Ruiz. d. 57. sect. 7. n. 3. num. 32.

num. 23. Christum Dominum orasse tantum pro prædestinatis sui temporis, & pro aliis post ipsum futuris; non autem pro Antiquis Patribus, & aliis ante ipsum prædestinatis, sed pro his solum meruisse eis gratiam per modum solutionis, quæ solutio potest fieri etiam post acceptam gratiam; sicque dicunt, Deum ex mera liberalitate dedisse suam gratiam Antiquis Patribus, quæ postea cognita à Christo Domino, tantum pretii in ejus solutionem Patri obtulisse, quantum ante illius donationem obtulisset, si jam tunc vixisset.

178. Non placent primò, quia Deus ex communi Theologorum sententia, nulli de facto voluit dare gratiam in executione ante merita Christi prævisa, quæ licet in existentia fuerint posteriora ipsis Antiquis Patribus, eorumque gratiâ, ac cæteris donis à Deo tunc acceptis, fuerunt tamen illis omnibus naturâ priora; alioquin non possent esse istorum causa, sed essent tantum meræ gratiarum actiones pro tali donatione, quod non est dicendum.

179. Non placent secundò, quia argumentum hoc etiam contra ipsos Adversarios facit; siquidem probat etiam, non potuisse Christum Dominum pro hominibus futuris determinatè orare, & eorum prædestinationem petere, quod illi non admittent. Patet, quia Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis vidit Scientiâ Beatâ, & Insuper homines quotquot erant salvandi etiam in lege gratiæ; consequenterque cognovit, Deum ab æterno habuisse decretum salvandi illos; ergo si non poterat petere pro Antiquis Patribus, quia sciebat eos jam habuisse gratiam, ideoque non poterat dicere: *Pater rogo ut dedisses illis gratiam*; etiam non poterat petere ab eo prædestinationem pro hominibus futuris, quia jam sciebat eos esse prædestinatos, ideoque etiam non posset dicere: *Pater peto ut voluisses salvare Petrum*; sed hoc non admittent; ergo illud non debent negare. Præsertim, quia inde sequeretur, neque nos posse modò quidquam à Deo petere; nam cum saltem in communi sciamus, Deum ab æterno voluisse quicquid facturus est in tempore, quomodo poterimus petere dicendo, *velis hoc, aut illud*? Igitur.

180. Respondeo ad argumentum, Christum Dominum in prioritate instantis, quo determinatè volebat orare pro electis, habuisse quamdam cognitionem, quæ solum eos ut possibiles repræsentabat, nihil affirmando de voluntate Dei circa eorum prædestinationem, & ex hac cognitione ductum potuisse determinatè petere: *Pater prædestina Abrahamum*, sicque de aliis, ut constat ex illo Joan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*: ubi specialiter petit prædestinatis donum perseverantiæ, sicut specialiter etiam petit pro Apostolo Petro. Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: & pro eo, & aliis. Joan. 17. 1. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*: In posterioritate verò ipsius instantis habuisse aliam cognitionem, quâ illos videbat ab æterno prædestinatos, & habuisse in tempore gratiam ob illam suam orationem, quæ fuit prior naturâ, quàm ipsa eorum prædestinatio, ideoque potuit Deum movere ad eorum prædestinationem faciendam propter illam orationem. Ita P. Arriaga hic d. 37. sect. 3. n. 32.

181. Confirmatur cum eodem P. Arriaga ex nobis ipsis, quia quando salutem à Deo petimus, à quadam cognitione ducimur nihil nobis certi pro-

ponente de nostra salute, licet alioqui in communi sciamus, Deum omnem suam voluntatem habuisse ab æterno; sed Deus in eodem instanti reali, quo sic oramus, potest pro ejus posterioritate nobis infundere cognitionem, quod ab æterno voluerit nos salvare; (neque enim in hoc apparet repugnantia;) datâ autem hac cognitione, simul habemus in eodem instanti, & orationem pro prioritate instantis, quæ petimus, ut Deus nos velit salvare; & scientiam pro posterioritate instantis, quæ cognosceremus, quod id voluerit jam ab æterno; ergo quod in hoc casu in nobis contigisset, potuit de facto contingere in Christo Domino respectu, tam præcedentium Patrum, quàm subsequen- tium prædestinatorum. Unde Deus vidit ab æterno Christum determinatè orantem pro prædestinatis, & hanc pro illis orationem accepit, illos propter eam prædestinando, itaut hæc manserit prior naturâ, quàm eorum prædestinatio, posterior verò tempore auxilii, & gratiâ eis datis.

Urgebis: Oratio Christi Domini solum petebat, ut electio illa Patris exequeretur in tempore, ergo non ut illam efficeret ab æterno. Respondeo negando antecedens: cum enim Christus Dominus fuerit prædestinatus ante omnes homines, & sic cum omnibus meritis, potuit Deus inter ipsa ejus merita prævidere illam orationem, & propter eam moveri, non solum ad executionem in tempore, sed etiam ad primam electionem ab æterno.

Obijcies 6. D. Paulus significavit, determinationem electionis non fuisse factam propter ulla merita; siquidem usus est nomine *sortis*, ut constat ex illo Ephel. 1. ibi: *In quo etiam nos sorte vocati sumus, &c.* ergo illam nobis non meruit Christus Dominus. Respondeo nomen illud *sortis* excludere merita, quibus homines meruerint suam prædestinationem, aut primam gratiam, prout supra diximus; non autem aliorum merita, nempe Christi Domini, propter quæ potuerunt determinatè eligi.

Inferes: Ergo jam prædestinantur ex meritis prævisis, contra id, quod supra diximus. Respondeo negando illationem; licet enim Christus Dominus nobis meruerit electionem determinatam, hæc non minùs casualis, & fortuita nobis contingit, quàm si Deus illam decrevisset sine meritis Christi Domini, cum præter opinionem, & supra dignitatem nostram nobis contingat. De prædestinatione Angelorum hic non agimus; tùm quia de illa jam aliqua supra tetigimus: tùm quia de illa iterum redibit sermo alio in loco, ubi de ea latius dicemus, quæ hic desiderari poterunt.

